

V
B J
C

ONVPHRII BONFIGLI
DISSERTATIONES
DE
PLICA POLONICA,
DE
P E S T E,
ac eius
C O N T A G I O,
&
DE ABUSU IN CURA
FEBRIVM PVTRIDARVM,
ac
MALIGNARVM.

PLICA POLONICA

novissimè explicata:

Ab

ONUPHRIO BONFIGLI, M. D.

Sub Auspicijs

CELSISSIMI DOMINI,

D. ADAMI SIENIAWSKI

Comitis in Myß, & Szkłow,

CASTELLANI CRACOV:

DUCIS SUPREMI EXERCITUUM

REGNI POLONIÆ,

Leopoliensis, Rohatinensis &c. &c.

CAPITANEI.

CRACOVIÆ,

Typis Francisci Cezary, S. R. M. Celsissimi Principis, Illustr: & Reverendissimi Dni Episcopi Cracovien: Ducis Severiæ Typographi.

Anno Domini 1720.

CELSISSIME DOMINE.



Risci Græcorum Pòëtæ fingere consveverant fabulas, velut jocosa blanditie documenta moralitatis elicerent, vel ut Historias mystica larva exornatas

jucundiùs repræſentarent. Cō-
tigit fortaſſe apud illos, ſtupo-
re quaſi ſaxeo, vidiſſe plicoſam
fæminam diſperſis per caput
capillis funiculorum adinſtar
contortis, & angves imitanti-
bus deformatam: ſicut ipſe
dùm primùm in Poloniam in-
travi, horrida Plicæ monſtra ad-
mirando, acſi echſtaſi fui de-
prehenſus. Quis ergo non ju-
dicabit, Meduſæ capillamen-
tum hujuſmodi non fuiſſe, at-
qué fabulæ anſam dediſſe?
Morboſam hanc Meduſam,
non tam Naturæ, quàm mei
calami errore turpem, ut pe-
rimam, Prothei vices agam,
non Palladis clypeo tutus, ſed
Tuo

Tuo patrocinio potenti, CELSISSIME DOMINE; siquidem Exercituum Poloniæ Dux Supremus Palladium Patriæ dici mereris; qui stirpis antiquissimo decore Illustrioribus Familijs conjuncto refulgens, qui prudentia, & magnanimitate ornatus, ac utroq; Minervæ genio fœcundus, Princeps in sæculari Senatu, Princeps in Militia (si veteres Græcorum mores renovare liceret) inter Semideos extollereris. Liceat saltem, ut recisæ Plicæ triũphator se submittat auspicatæ Gloriæ.

CELSITVDINIS TVÆ,

humillimus, devotissimus,
& obseqventissimus servus,
ONUPHRIUS BONFIGLI.

PRÆFATIO.

EXCELLENTISSIMO DOMINO
D. GODOFREDO KLAVNIG
S. C. M., & Principis Palatini Medico,
Poliatro Vratislavienſi, Curioſ.
Naturæ Academico.



Vm ſciverim inter veteres Medicos (præter Herculē Saxonia, Thomam Minadorum, Rodericum à Fonſeca, & Danielem Sennertum) de Plica nullum alium tractaſſe, neq; hos ſufficienter ſcripſiſſe; deindè Daviſſonum de hujus affectionis vanitate contendiſſe, & tandem inter recentiores Chriſtianū de Helwich in hiſt. morborum Vratislavienſ. *veritatem vindicaſſe, quæ pluribus adhuc Medicorum obſervationibus confirmatur, judicaveram neceſſarium fore Polonia,*

nia,

niæ, ubi maximè Plica endemius morbus existit, exponere quid proprio sensu, & praxi de hac comparaveram. Cracovia in Italiam itinerans, gratiosa consvetudine Tua, & doctissima conversatione allectus Vratislaviæ precabar, ut una cum D. de Helwich judicium de præsenti Tractatu faceres: Quibus placuit typis ipsum committere. Nunc autem eadem confisus apporbatione addidi aliqua, & recusum cum annexis dissertationibus, quæ antehàc impressa seorsim fuerant, ad Te remitto. Me amare persevera, & vale.

EXCELLENTISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ.

addictissimus servus,
& Amicus,
AUTHOR OPERIS.

ARtis Apollineæ, Bonfigli, filius ille
Optimus en! nobis explicat arte Plicas.
Explicat arte Plicas, ſibi laudes explicat am-
Et laudes Italis, cõmoda Sauromatis. (plas,
Cõmoda Sauromatis producit mẽte, manuq;
Gratâ ut mente, manu ſuſcipiant reducẽ.

D. Godofred Klaunig,
Archiater Cæſar. & Acad. Imp.
Nat, Curioſ. Collega.

TU, quẽ cura tenet Plicarũ noſcere cauſas,
Bonfigli ſtudio ſcripta revolve manu.
Quod dudũ latuit, patefecit Apolline magno,
Myrinâ verè filius arte bonus.
Arte bonus, meritis omni laudandus in ævo,
Cum ſcriptis mũdo Commoda plura paret.

Sic prænobiliſſimo, ac Excellentiſſimo Authori honoris gratiâ appoſuit.

Joannes Bernardus Sthaar,
Phil., & Med. Doct. Legationis in
Moſcoviam Medicus Cæſareus.

DE PLICA.



Eculiaribus vernaculis morbis regiones aliquæ diſtinctè infeſtantur. Septemtrio maritimas præcipuè oras reſpiciens, endemio ſcorbuto ſubjectas inficit plagas. In India Occidentali, ut in ſuo loco natali, Venerea lues communiter crudeliori contagio propagatur. In Styriæ, Carinthiæ, Hungariæ, & pluribus alijs mõtibus incolas ferè omnes Bronchocele deformat. Sic familiaris Plica Polonis, quam, rarò in Medicis libris hucuſq; tractatam, ab incurabili deſperatione ut redimam, commiſeratio mihi perſvadet.

Etſi Polonica dicatur, eſt adhuc extenſa per Lithvaniam, Ruſſiam Rubram, & Tartariam Minorem, ubi non ſolùm ad humanum genus, ſed etiam ad ſues, canes, plurimos equos & alia bruta diffunditur. Hungaris etiam aliquibus hoc malum innoteſcit, & ex obſervationibus Schenckii Brisgois, Alſatis, Belgis, nonnullisq; Rheni tractibus frequens eſſe reperitur.

Quamvis in cæteris Europæ partibus Plicæ nomen vix audiatur, ſuſpicandum tamen, hanc ægritudinem ubique diſper-

diſperſam produci: certos immo nos red-
dunt Medicorum fide dignorum aliquot
hiſtoriæ, & præcipuè quæ in Ephemeridi-
bus Curioſorum naturæ leguntur. Nec equi-
dem caret ſua Plica Neapolis, ubi plures,
ſpeciatim è fæminarum plebe dignovi, tri-
cam ſponte capiti exortam cautè tuentes
impexam, utpote felicitatis indicium ſuper-
ſtitiosè reputatam, & quæ fabuloſo com-
mento *la Treccia della Fata* vulgariter ab
illis appellatur. Attamen quidam ibidem
axymi liturgici venditor, cujus glomerata
Plica dum diſſolvebatur ad genua perve-
niebat, mihi narravit, ſe in pueritia diutur-
nis infirmitatibus obnoxium fuiſſe; ſtatim
ac verò cirri connexionem nulla arte ex-
tricabilem animadvertere cœpit, convalu-
iſſe, qui uſq; ad ſenium pancraticè adhuc
vivebat. Subjunxit; poſtquam è capite
infantuli ſibi affinis bene valentis Mater re-
ciderat caudam (ſic ipſe Plicam nuncupa-
bat) in horrendas affectiones, & ad mor-
tem uſq; Filium adduxiſſe. Et quis nega-
bit, implexum crinium per totam Italiam
non raro ex jubis equorum pendentem
(*il Folletto* communiter dictum) clariſſima
præbere argumenta judicandi, prædictum
morbum ſeſe latiùs extendere, quàm pa-
teat, ac pullulare ſæpiùs, quàm permitta-
tur, excreſcere? Nam apud alias Nationes,
etiamſi

etiamsi hujusmodi complicatio morbida fieri incipiat, nemine suspicante, nemine curante negligitur, nec sinit usus pectinis, capillos intricari, abscindendos alioquin, aut abrabendos.

Sicut fateri debemus, nullibi tam fœcundè Plicam propagari, ita nec indolis tam malignæ tyrannidem exercere, quàm in Polonia. Ubi quousq; intacta religiosè servatur, ac vegeta, corpus incolume à symptomatibus præservat: si verò aut pectendo irritetur, aut tondeatur, subjectæ partes, in quas morbosa causa deponitur, periclitantur. Nunc caput doloribus, vel oculos defluxionibus visui infensissimis afficit; nūc respirationem difficilē, necnon cordis oppressiones inducit; modo stomachi turbat concoctionem, & ventris tormina suscitat, & adhuc in fæminis cū passionibus hystericis confunditur; modò paralysin, convulsiones, dolores arthriticos, rachitidē, tumoresq;, ac ulcera parit; hinc febres erraticas, lassitudines ulcerosas, anxietates, fœtidos sudores nocturnos, tabem, ac plurima alia damna producit; ita ut morborum Protheus omnium symptomatum larvas assumat. In equis pariter hoc idem comprobatur, è quorum plicosis jubis turpissimæ tricæ ultra cæteros crines excretæ, & quasi ad terram usq; aliquando extensæ

 alacri-

alacritatem, robur, & celeritatem ipsis conservāt: contrà post incisionem segnities, gravis anhelitus, pedum tumor, aut cæcitas ut plurimùm sequuntur. Hinc non dubitanda hujus endemij morbi genuina existentia, quamvis quàmplurimi verum cum falso confundant, & ansam multis Physicis præbeant indistinctè credendi vanum esse vulgi errorem.

Quoniam certissimum est, quod plebs rusticorum impura caput pectere nescia, cùm in gramine sæpè degat, inter asperas herbas intricet capillos, quorum retortæ extremitates naturaliter intersecari debent, & varios nodos formare; quod cæteris Nationibus succederet, si mundities contrarium non svaderet. Nostri vero Poloni statim ac illius implicationisprincipia observāt, germen veræ Plicæ ad salutem pullulasse putantes, diligenter colunt, ut in fœdum, & Medusæ simile ornamentum excrescat.

Neque cōtradicere possumus, non paucos esse homines, qui dum aliqua difficili, vel longa infirmitate vexentur, ipsā à Plica foveri non suspicentur; & quia tunc caput pectere cessant, & lotionibus ex decocto brancæ ursinæ cum lupulo, & musco terrestri utuntur, aut vino, oleoq; inungunt, quousq; emplastrati crines consultò conglutinentur, arte tricas efficiunt, ut satisfa-

tisfaciant opinioni morbum ad extra alliciendi, qui secum omnem causam è corpore asportet. Huic plaudentes non desunt Medici, qui cùm ægros sanare non valeant, deceptæ communi credulitati assentiri malunt, quàm propriam ignorantiam fateri.

Quilibet ut facilè sinceram infirmitatẽ ab imaginaria dignoscat, observabit legitimã Plicam semper viscido quodam humore madidam præcipuè in stipite, è quo abscisso purulentum sangvinem (si Famæ credendum sit) interdum extillasse contigit: pariter ubi immediatè implantatur, turgidiusculos fovere capillos, ac statim è cute prosilientem mirabiles intersecationes inchoare, gravemq; spirare odorem.

Falsam ab impuritate procedentem distingvemus, cùm vel paleas, vel similia aliena simul cum crinibus intricata utplurimùm abscondantur; sic dum non in caudice, sed potiùs in medio, & circa extremitatem complicatio subsistat; deniq; cùm capilli naturalem temperiem proportionemq; non amiserint.

Quæ ab arte non indiget signis. Sed quoniam accidere posset, veræ Plicæ caussam latitantem remediorum auxilio ad extra evocari, dubium nihilominus tractu temporis tolletur: Falsa etenim manifesta-

bitur, si comæ quò magis excrescent, eò longiùs glutinatam tricam à cute asportaverint, quarum pars, dum continuò à pondere tracta è sua radice secedat, & semper tricis inhæreat, molem talem adaugere solet, ut viderim hujusmodi Plicas tandem de toto eradicatas per se cecidisse.

Phthiriasis, seu pediculatio inter diagnostica signa non admittenda; quia cum spurcitiem subsequatur, in omnibus tam morbosis, quàm factitijs cirris concurrere potest.

Legitima ergo Plica sic definitur: est pilorum, ut plurimùm capitis, irregularis complicatio, vel tricis funiculorum instar productis, vel ad galeri formam super calvariam compressis, propter ipsorum alimentum dyscraria peculiari alteratum à communi potissimum regionis dispositione.

Figura non re differentem divido cùm vulgo Plicam in marem, dum prolongatur, & in fæminam, dum latè caput cooperit. Propriè autem, præter acquisitam sive disponentibus rebus non naturalibus, sive per contactum, hæreditaria, & congenita distingvuntur.

Dixi, quod in capite ut plurimùm germinare Plica assveverit, quia rarò in barba apparet, cujus pili cùm sint capillis duriores magis resistunt; sed in cæteris pilosis parti-

partibus plures, quàm nobis constat, cirros occultari probabiliter asseritur.

Quomodocunq; Plica se prodat, Wilhelmus Davissonus, & Apologeticus liber, cui titulus Plicomastix, cum Bartholino inter corporis excrementa pilos annumerantes, in quibus morbi sedes constitui non possit, alijsq; innixi assertionibus universali experientiæ reluctantibus, imaginarium effectum esse contendunt. Contra quos cùm Plempius, Hercules Saxonia, & alij solidioribus rationibus hanc controversiam jam discusserint, liceat nobis impræsentiarum de veritate morbi nullatenus dubitantibus illum constituere in depravata pilorum conformatione, quæ non solùm ipsos degenerare facit ab usu ornatus, & salutaris tegumenti, sed aliquando non permittens absumi totum id, quod cæteris partibus est incongruum, harum quoque lædit actiones.

Si quis dixerit, capillos abscindi, & denuò crescere, calido ferro torqueri, ac tabescentes in senio calvariam sterilem destituere absq; ullo sensibili salutis damno, & ideò morbum ibidem locari non posse: consideret pariter, denudatos dentes, sine dolore secari, uri, cadere in pueritia renascentes, ac in senibus marcescentes sine molestia secedere; & tamen absurdum

esse dentium affectiones fabulosas judicare?

Si altera opponatur instantia, quod una cum dente avulso, sicuti malum eradicatur, v. g. caries, ita cum Plica abscissa ibidem succederet, nec juxta communem opinionem pessimi exinde timeri deberent effectus: respondeo paritatem non æquivalere, ut ex dicendis patebit.

Concludo. Si Alopecia à corrupto pilorum alimento, ac Trichiasis ab inversis ciliorum poris, communi Medicorum assensu in numerum morborum aggregentur, cur solâ Plicâ hæresi physica persequi libet?

Capillos substantiæ aliquomodo corneæ vegetabiles esse omniũ oculis apparet, illorũqué fissibilitatẽ bifidæ, vel trifidæ extremitates demõstrant. Mediãte adhuc microscopio dignoscimus, aliorum figuram esse triangularem, aliorum quadratam, necnon aliquorũ teretem, ac politam cum tubulata cõcavitate, & corporis diaphaneitate. Radices autem, quæ in poris cutaneis implantantur tuliparum bulbis simillimæ, atqué (non aliter tubuli) transparentes deteguntur: in quorum obtuso fundo (dummodò integrè eradicetur) convexus ocellus nigro colore prœminet cum puncto, seu porulo pupillam simulante, per quem fluido liquori adaptum pateat ingressus: ad hoc anatomia tandem patefacit vasculis

sangvi-

ſangviferis tenuiſſimis, & nerveis filamentis ſubtiliſſimis radices iſtas irrigari.

Tali ergo diaphaneitate alimentum per anguſtiſſimũ canaliculũ, ac inter fiſſiles fibras ſubintrans concipere debemus rarefactum, moleculiſq; homogeneis conflatum ſeſe non interſecantibus, ut liberum, ac rectum tranſitum irradiationibus lucis non intercipiat. Cujus alimenti naturam ſcrutari liceat è capillorum deſtillatione, quæ ſubtiliſſima illorum fluida componentia in unum reſtringendo, oleoſum nobis præbet liquorem ſalino-volatilem, & fætidum, qualem comburendo capillos odore comprobamus.

Oleoſitatem præexiſtere noſcimus; quia hæc nulla artificiali violentia non tam è cute emanans capitis integumenta inungit, quàm è porulis lateralibus ipſorum capillorum in aliquibus tranſudans ita, acſi oleum perfunderetur, impingvat: Sal quoqué manifeſtatur à crepitu, quem crines emittunt, dum accenduntur.

Volatilis iſte liquor in halitus rarefactus, capillos penetrans, juxta variã àëris, & tẽperamenti diſpoſitionẽ varijs coloribus eoſdẽ pingit. Sic oleoſitas ſubtiliſſima, ſi ſublimata ſalia proportionate modificaverit, undoſas & annulatas ornabit comas; ſi

aſpera

aſpera volatilia ſalia oleoſitati prædominata fuerint, criſpatos contrahent crines; & contrà humido aquoſo diluta molliorem oleoſitatem reddent, & eoſdem in longum extendent. Radicis quoq; configurationi pro alimento cribrando dicatæ multum tribuendum, non tam cauſâ laxioris, & ſtrictioris pororum compaginis, quàm ipſorum rectitudinis & obliquitatis.

Quod alimentum ſe ſucceſſive inſinuet, teſtatur cultura capillorum, qui circa calidum ferrum revoluti, & exſiccati cincinnos non diù perſiſtentes componunt, quoniam à novo affluxu relaxantur: crines autem mortui ſemel in factitijs comis contorti per longum tempus perſeverant; quod ſimile in virgulis arborum pro paritate vegetationis experimur.

Hæc in naturali fiunt ſtatu. Sed in gradu præternaturali Plicæ res alio modo procedit, ubi alimentum è ſua indole degenerans deprehenditur. Tunc enim ſalia oleoſa minus volatiliſata, ſed aſperam viſciditatem adepta in bulbos capillorum conveniunt, & inde per tubulos ſubintrant ad illam uſq; diſtantiam, quæ latiorem locum penetrationi concedit; cùm vero ad extrema anguſtiora propter craſſitiem, eadem fluiditate pervenire non poſſint, retardantur in via, & propè ſtipitem cum

majori

majori concurſu ſubſiſtentia canalem in latum taliter extendunt, ut dilatatum capillorum fiſſile corpus tandem cum rima ſicrepare faciant; unde reſinoſus liquor, ſicuti ex arbore ſauciata, emanat, qui combinatus cum illo è cutaneis quoq; poris exiliente præ copiâ adaugetur.

Extrema interim capillorum pars à ſubtili conſveta irradiatione non ſatis refocillata, paulatim extenuata exſiccatur: Et ſicuti crines ab humido extenduntur, itâ hoc deficiente contrahuntur, quos ſicco pulvere aſperſos videmus in curvam lineam per ſe converti, atq; ſupra lamina igni expoſitos vermium adinſtar convelli.

Quomodo à ſiccitate hoc fieri poſſit, non abſimilem reddimus rationem, cur flores, & reliquarum arborum flexibiles rami ad ſolem, quoquo verſus ille reſpiciat, inclinent: illius namq; radij in caulem vegetantis plantæ impingentes, effluvia ex iſta directione copioſiùs, quàm ex oppoſito eliciunt, & ob vacuas poroſitates concidentes, corticem in iſta eadem parte corrugari, & ſuper adnatum pondus inflecti cogunt, donec ex imbuta nova ſubſtantia vis reſiliendi contra retrò gravitatem preſſionem reſumatur. Sed ultima capillorum medietas obſtructa ob inſiti humoris inæqualem reſolutionem irre-

gulari-

gulariter contrahitur absq; spe se denuò extendendi, cùm influum alimentum intercipiatur.

En Plicæ primordia, quæ à capillis incipit simul agglutinatis in immediato limite capitis, dum eorum retortæ cuspides adhuc à pileo, vel jacendo compressæ, ut una cum stipitis viscidítate adhæreant, illuc admoventur, & duplicantur, inter quorum interstitia multiplices aliæ intersecationes insinuatæ varijs nodis intricantur.

Augmenti præbent modum veteres capilli, qui à radice secedentes cum Plica tamen concatenati semper retinentur, & relictis bulbis, virtutem nova emittendi germina non adimunt, quæ tenullula vix foras exilientia inter adultorum tenacem transudationem agglutinantur; & quia è cute excrescendo adhærentem extremitatem elongare nequeunt, sed corpus contorquere debent in arcum, cum alijs ideò continuò succedentibus irregulariter intermisti, deformibus, & spurcissimis connectuntur tricis. Sequentis demonstrationis exemplum facilis approbationis lumen expandet.

Si duo ejusdem speciei virgulta eodem tempore, & propè nascentia artificiali glutine simul connectamus, unitè & æqualiter contigui gemelli adolescent: Si verò recenter

ter exortum cum pede adultæ plantæ ſimili arte uniamus, videbimus molle germen ab immobili adhærente impeditum, non ſe naturaliter in altum extollere, ſed depreſſum humili tortuiſitate vegetare. Ad hoc vis alia accedit; quod ſicuti alimenti aſperitas criſpos capillos efficit, hic magis corrugationem promovebit ſalina ruditas cum craſſitie conjuncta.

Verum quidem eſt, quod comæ in tricas, fœminarum more, compoſitæ longiùs excreſcere ſolent, quàm ſi relinquantur ſolutæ, & nulla vittarum conſtrictione attractæ; ſed non ita ſuccedit in Plica, ubi alimentum vitioſum æqualiter ad extrema non pervenit, & elongari capillos non permittit. Hoc quamvis paradoxum appareat illis, qui ultra conſvetam menſuram pendentes cirros primo oculo judicant, diligentiùs tamen aſpicientibus, extenſionem illam, decidentium capillorum concatenationem tantummodò eſſe manifeſtabitur.

Morbi formalitate, cauſaq; materiali proxima, & immediata ſatis expoſitis, ad remotam procedamus: hæc in ſangvine perquirenda, è quo duplex recrementitia glutinoſitas diſtingvitur; alia, quæ in ſimilem gummatibus ſubſtantiam concreſcit, uti eſt mucus, & lippoſitas; alia, quæ reſinoſa deprehen-

prehenditur, ut eſt aurium cerumen, & capitis unctuoſitas, quæ ſæpiſſimè cum ſudoribus febrium ſolito viſcidior capillos tenaciter inquinat: & hujuſcemodi indoli Plicoſa materia aſſimilatur.

Hæc tamen excreta, ut talia, non exiſtunt in ſangvine, ſed cum alijs miſta elementis diverſa facie diſpoſita: nihilominus exuberantia reſpectivè hujus, vel illius heterogenij componentis, naturalem ſangvinis craſim pervertit. Ab excretis ideò internam humorum conſtitutionem conjicere licet: Quis etenim non affirmaverit inter apes mellificantes, & catum Zibethinum cum cæteris animantibus diſparitatem intercedere humorum? Sic inter hominem & hominem, quorum excrementa aliquo modo diverſificentur, parem non eſſe temperaturam?

Unde Plicæ vitium conſtituo in abundantibus particulis ſulphureis cum ſalibus volatilibus non ritè digeſtis, nec ſubtiliſatis, ſed in aſperam, & rancidam viſciditatem ad inſtar olei amurcæ concretis.

Ab hujuſmodi ergo humorũ dyſcraſia fixam, & continuam fovente mineram, heterogenium illud, quoties ad fermentationis gradus exaltatur, toties ſub capitis cutem utplurimùm deponitur, & in capillorũ radices penetrando ſucceſſivè foras amandatur.

Mira

Mira equidem Naturæ providentia, quæ ſicuti particularia viſcerum cola, & ubique varias glandulas pro diverſis impuritatibus humorum cribrandis conſtruxit, ità pororum configuratione ſpeciali capillatam cutem dotavit, ut cum Plica latitantis cauſæ productum criticè deſpumaretur.

Si autem amurca plicoſa intrò retineatur, vel ob internam fermentationem minùs attenuantem, nec ſatis concocta heterogenia expellentem, vel ob extrinſecam exciſionem, quæ àëri cauſam præbeat condenſandi affluentem humorem ad extrema relictorum crinium oſcula (ità, ut cicatrice illìc obducta extillare materia non poſſit) tunc răcidus ſangvis evadere ſolet, qui vel effervelcendo, vel aſperè circulando, modò has, modò illas excitat turbas, quantas diverſa particularum heterogeniarum combinatio in diſſimilibus temperamentis cŏmovere poteſt, atq; in ipſo corde motrices fibras uſq; convellit, aut opprimit: in cerebrū depoſita, & ſuccū nerveum conſpurcās ſubtilior, aut craſſior, ſenſuum & motuū organa irritando, aut opplendo, ſpaſmos, paralyſim, aliasq; nervoſi generis affectiones infert: ad inferiora viſcera tranſcolata ipſorū fermenta perturbat, unde à rudi ſanino-oleoſa miſcela digeſtiones, &

ſegre-

ſegregationes confunduntur, atq; affectiones tam hypochondriacæ, quàm Hyſtericæ producuntur: in ſero lixiviali ſoluta, & per glandulas hinc inde ſegregata, aut extravaſata, ranciditate peregrina exaſperat modò capitis membranas, modò oculos, aures, perioſtia, vel articulos, modò fauces, & pulmonum bronchia, in quibus hoſtiliter reſtagnat: nunc ad putredinem digeſta in ſudores graveolentes liquatur; nunc cruda in ſcrophulas, ſtrumas, & gummata condenſatur, quæ interdum maturando per ſal ad corroſionem exaltatum, in ulcera cacoethica, & fiſtuloſa degenerant.

Talia morborum fermenta, quæ ſemel in ſangvine radicata multiplicativam virtutem poſſident, difficillimè de toto ſupprimuntur: immo non tantùm cum ſeminali ſpiritu patris, vel nutrimento materno ſpecificum idearum ordinem retinentibus in filiorum hæreditatem transfunduntur, verùm etiam expanſiva eadem efficacia per contactum pilei, aut pectinis à plicoſo tractati ſano capiti communicantur.

Sicuti tinea tineam, ſcabies ſcabiem, & cæteri contagioſi morbi ſibi ſimile propagant, ita per determinatas partes, & non per alias juxta organorũ proportionem infectio ſuſcipitur, & in diſpoſita ſangvinis

mate-

materia effectum propriæ activitatis eliciunt.

Fermentorum multiplicationem clarô demonstrat exemplô cerevisiæ brassatura, & panificium; & subtilissimorum corporum vim expansivam testantur antiqua vina in cellis recondita vindemiarum tempore ebullitionem renovantia, quamvis musti fermentantis exhalationes per longum áëris tractum excurrere debeant. Hîc autem in Plica minor dubitandi erit locus, ubi immediatus contactus, & proxima transfusio supponitur.

Ubi autem nullus contactus, neq; hæreditaria infectio conjectetur, nullam aliam procatarcticā causā dignoscere possū, quàm specificam aquam in hac singulari Regione. Aér etenim ab omnibus ibidem æquè inspiratus, omne genus hominum indistinctè ad Plicam disponeret, & cibus, si inculpari deberet, sedentarios potiùs, & & parasitos occuparet. Quoniam verò observamus, frequentiorem esse hunc morbum inter rusticos, & pauperes aquam bibere solitos, & natos, à genitoribus, qui simili potui assveverant, phantasticam aliam originem non inquiram.

Imò obstupesco, quare tales homines continuis corporis laboribus assveti (etsi crassiori alantur cibo) ob copiosam transpirationem

onem immunes ab hoc morbo non reddantur, ſicut ſeſe præſervant à podagra, calculo, & alijs quàm plurimis affectionibus, quibus divites infeſtantur.

Credendum eſt ergo, Plicæ cauſam, id eſt, oleoſas particulas craſſas cum ſalinis volatilibus crudis in ſangvine ſtrictè colligatas à ſero non facilè dilui, ut ſimul per corporis trãſpirationem ſeparari poſſint: ſicut aquoſum menſtruum gummatum reſolutioni adaptatum, reſinas intactas relinquit.

Vel, ſi mediante aliorum miſcela, materia morboſa cum ſangvinea maſſa diluatur (velut reſinæ cum vitello ovi, aut cum amygdalis contuſis, non minus ac oleoſæ eſſentiæ cum ſaccharo prius diſſolutæ, intimè deindè ſimul cum aqua uniuntur) nihilominus per omnes glandulas indifferenter cribrari non permittet: ſed ad poros piloſæ cutis particulariter configuratos delata, ibi tantummodò ab interpoſitis particulis liberabitur denuò, & velut in appropriata matrice in pingvem vitioſum liquorem excoquetur, qui pro capillorum nutrimento inſinuabitur. Exemplo diverſæ ſpeciei plantarum in una terra, quarum unaquæque ſibi diſtributam diverſam ab alia ſubſtantiam aſſumit, juxta organiſatam percolationis diſpoſitionem.

Hinc

Hinc eſt, medicamenta omnia communia, quæ per ſeceſſus, ſudores, vel urinas movent, nocua potiùs in tali caſu deprehendi, quia multùm exagitant, & nihil de morboſa cauſa reſolvunt per loca non competentia.

Cirroſæ affectionis primitivum fontem aquis, quæ à montibus Carpatijs per Pocutium pluribus fluvijs excurrunt, attribuit Fama, cui vix fidem præſtare poſſum, quia in alveum Tyræ concurrentes, & Mare Nigrum ſubeuntes extrema Ruſſiæ Polonicæ tantummodò lambunt. Credibile eſt, obſervatum ibi morbum alicui curioſo primam ſpeculandi occaſionem dediſſe: cæterum, cùm Plica per integrum Poloniæ dominium æquè extendatur, alijſq; remotioribus terris, cum quibus nulla communitio contagioſa conjecturari poſſit, adaptetur, univerſalior igitur origo cum rationibus magis particularibus perquirenda.

Unde autem hujuſmodi inſalubritatem contraxerit aqua, ſequentibus patebit.

In terræ viſceribus oleoſam materiam foveri, indicāt bitumina, & petrolei ſcaturigines, fontes, thermæ, & mineræ ſulphureæ, ac montes ignivomi in multis locis patentes: tacitè verò ubique mediante fermentatione centrali unctuoſi vapores ad terræ ſuperficiem elevantur, & ipſam im-

pingvant; pro cujus fertilitate facilitanda necessarium duxerat natura repugnantiam olei cum aqua in amicabilem concordiam conciliare; ideoq; tertium adhibuit medium, id est nitrosum sal ab àere circumambiente communicatū, ut in unum mistum hæc tria colligata in plantarum abirent nutrimentum variè dispositum juxta poros, & delineationem figuræ seminalis.

Tale suppositum confirmatur, quoniam hæc eadem principia, præter violentam destillationem, in ipsis vegetabilibus satis per se manifestantur, quanvis adhuc sub misti larva velentur; id est, sulphur in resinosis arborum lachrymis, & in pulvere accensibili, qui super Musco terrestri clavato, & coryli turionibus reperitur; sal, ut acidum, in succo limonum, & in folijs acetosæ; ut dulce, in sacchari arundinibus, in uvis passis concretum, & supra caricas efflorescens; ut salsum in herba Kali, quæ ad littora maris Ægypti copiosè crescit sapiens ad instar muriæ; præter algas, similesque in mari nascentes plantas, dummodò asseverare nolimus, has potiûs ab extrinseco condituram per macerationem recipere: communiter etenim salia subintrant in plantas, vel fluorem adepta, vel sulphure modificata, ac variè disposita, à quo sapores quàmplurimi emergunt. Purissima

rissima similiter aqua ex incisis surculis vitis, extillat, & è foramine in trunco betulæ facto abundanter emanat.

Fertili pingvedine satis imbutam terram Polonicam testatur segetum abundantia absq; magno culturæ labore, non aliam ob causam, nisi quia plana, & mollis rarissima continet saxa: ubi etenim silicum copia, ibi sterilitas discooperitur ob subterraneas exhalationes ad superficiem interceptas; ideòq; in cacuminibus montium diutiùs perseverant nives, quanvis soli propiùs expositæ, & citiùs in culto campo dissolvuntur propter porositates dictis effluvijs patentes. Hæc ipsa porositas ad spiritus nitro-àëreos in sinu terræ commiscibiles suscipiendos pro vegetabili conceptione necessariò requiritur.

Aqua nivis, & pluviæ non solùm prædictæ copulæ fluiditatem impertitur, & salia àëreo-nitrosa, quæ in se continet, adauget, culturæ satisfaciendo, sed etiam superabundans secum adhuc rapit de pingvi sale copioso, & in terræ viscera penetrans per cæcos ductus in puteos, lacus, fontesq; concurrit. Hinc est, quod Nilus aquarum crassitiè campos Ægypti inundans majori adhuc fertilitate vices pluviarum adimplet.

Præter communem pingvedinem ob terræ loturam additur illa extracta à mul-

tis ſalino- ſulphureis mineris, quæ per Poloniam diſperſæ frequenter reperiuntur; ubi aliqua terræ ſpatia obſervata fuêre, quæ ſponte flammam conceperunt, & latè extenderunt incendium. Sic nuper in Palatinatu Sandomirienſi propè Dombroviam, ſtagnum, quod antea cum aquæ ſufficientia copiam piſcium fovebat, dehiſcentibus cryptis exſiccatum paulatim remanſerat; Paſtores deinde in ſiccas arundines immiſerant ignem, qui non ſolùm in ipsā repreſerat terram, ſed etiam exindè per quàm plurimos campos, in quorum glebis inflammabile pabulum latebat, diffundebatur; ubi poroſiſſimum ſolum, & calcando reſonans, vacuas intrò cavitates indicabat: tandem abſumpta materia combuſtibili extingvebatur incendium, & aquæ denuò pluviæ, ſicut anteà aggregatæ, concavum locum impleverunt.

Hinc probabiliter ſic ratiocinari mihi concedatur. Ubi reſpectivè poroſior eſt terra ad centrales uſq; ſinus continuata, ibi exhalationibus copioſis pingvibus magis imbuitur, quæ ſi ſubtilibus ſalinis fluidis combinantibus imprægnetur, ſulphureum minerale concretum concipiet. Aquæ autem naturaliter in declivium excurrunt, ſed in planitie terram minus reſiſtentem excavant, per quam ſibi viam aperiunt,

qua

quâ possunt: Et sic credibile est huiusmodi sulphuratam terram, utpotè rariorem, ab aqua depluente emollitam faciliùs subsidere, quàm alibi, quousq; interposita spatia excludendo, strictiùs componat fundamentum, & sic in aquarum alveum adaptetur.

Non redarguant me quæso, Physici nimiæ arrogantiæ, si exemplo Dombroviensi persvasus supponam, multos lacus & stagna istius plani Regni super sulphuratos alveos residere; undè forsan sequitur, quod non æque territoria omnia ad plicam disponant.

Sed dato etiam casu Plicosos inveniri rariores propè istiusmodi loca, sicut in cæteris regionibus nullum, quamvis minerali pingvedine pariter ditatis, non ideò mea corruit sententia. Scio etenim, plures thermas potiùs medicamentosas maximi levaminis esse in multis morbis: Et sicut aliæ reperiuntur aquæ infensissimæ, & venenatæ, juxta mineralium unionem, quæ tandem multiplici aliarum concursu dispersæ, & per terræ cola purificatæ in suam pristinam, & nitidam constitutionem revertuntur, ità contrà observamus, saluberrimas aquas converti per miscelam, & corruptionem in pessimas, & usq; ad pestiferam infectionem,

Sic non eſt ſemper neceſſarium, quò propiùs oleoſam originem, eò frequentiùs Plicæ effectum ſubſequi debere, ſed potiùs ubi tales aquæ congeſtæ poſt digeſtionem, & circulationem una cum volatili univerſalium exhalationum pingvedine alio modo miſtum diſponāt, ac exaltatam ſpecificæ in ſalubritatis activitatem aſſequantur.

Præterea quælibet unctuoſitas mineralis non ubique ſub unico aſpectu, & ſimili proprietate, ſed per variam miſtionem in multiplices formas à chymica natura elaboratur: hìc in ſulphur commune, vel in lapideum carbonem concreſcit, ibi in ſuccinum, aſphaltum, vel gagatem diſponitur, alibi in petroleum, naphtam, aut ſimilia bitumina diſtribuitur.

Credibile ergo ſit, oleoſitatem mineralem procul adhuc cum aqua aſportatam, faciliùs quoq; ſingularem Plicæ parere effectum in illis locis, in quibus ſingulari compoſitione modificatur.

Quod de àëre diverſo modo alterato, juxta mundi diſpoſitas plagas varietatem morborum producente approbatur, ab aqua pariter per terræ pingvedinem particulari modo vitiata ſpecificum effectum eſſe Poloniæ cum adjacentibus Provincijs communem confirmare liceat.

Aſſertum hoc vigorabit craſſa pingvedo

in

in aqua Polonica exiſtens, quàm diligenter ſcrutabor.

Salinas, oleoſasq; particulas ſimul cum aqua confluere non dubitandum, quæ ex mutua illorum combinatione, & quantitate ſimplicior, aut impurior, medicata, aut inſalubrior evadit. Optimæ aquæ ſigna ſequentibus verſibus inveniuntur expreſſa

Sic aqua clara fluat, qualis nitidiſſimus æther,
Dulcis, & exigui ponderis, & gelida;
Et tenuis currat nullo puriſſima limo,
Sitq; ſapor nullus, ſit procul omnis odor.
Frigeſcat breviter, modico ſimul igne caleſcat,
Utilis, & duris apta leguminibus.
Hanc mihi ſi quis aquam dederit, vinoſa valete
Pocula; nam vincit optima Lympha merum.

Hujus notæ aquas non potui in Polonia invenire, ubi omnes craſſæ, & ſalſæ reperiuntur. Non loquor de aqua pluviæ, & nivis, neq; de illa, quæ per torrentes, & flumina rapido curſu è montibus deſcendit, ſed illa hìc pertinet, quæ per planam terram percolata, lacus & ſtagna componit, aut in puteis excavatis reſtringitur, aut per fontium ſcaturigines proſilit, & quæ ad potum, eſumq; culinarum uſurpatur.

Ea, quæ iſtius puritatem perturbant, & viſum effugiunt, ſubtiliori acumine ſunt

per-

perquirenda. Et ut faciliùs hoc elementum vitiatum, furtum fateatur in se abscondi-tum, oculisq; nostris celatum, severissimam subeat torturam; quandoquidem manifesta indicia satis ipsum incusant, & convincunt.

Vidi etenim aquam è puteis Polonicis, quamvis pro melioribus celebratis, in vase vitreo politissimo diù conservatam, concavos parietes subflavo tinxisse colore, qui nulla alia arte extrahi potuerat, quàm per acerrimum lixium: evidentissimum signum, tincturã illã fuisse salino-sulphuream, quæ ut amica salia lixivialia intimè amplectatur, superficiales adhæsiones relinquere solet.

Vidi etiam, cum sapone hanc aquam non esse miscibilem, respectu aquæ pluvialis, & fluminis; quia, cum satis, & ad plenitudinem sit onerata salibus, oleosisq; crassamentis, superadditum quoq; compositum è lixivio, & pingvedine incapax sustinendi redditur.

Quibus addo salsum, nauseabundum saporem, & interdum cum ingrato odore conjunctum.

Hinc strictiùs eandem examinans, crassiorem, ac ponderosiorem esse respectivè ad exteras exprobo, dum innatans instrumentum pro librandis aquis inventum, à

densi-

densiori fluiditate contranitente in his magis sustinetur, ne tàm altè profundet.

Deindè in diversas aquas parum de sale Saturni, vel de aqua rosarum per campanam plumbeam destillata infundendo, Polonam observo faciliùs lactescere, densioremq; nubem efformare, quæ promptiùs ad fundum præcipitat.

Aquam tandem lentè evaporando, subtilissimam residuam terram collegi satis abundanter relictam, quam exsiccatam ex humili urinali, aperto igne per gradus adaucto, distillans, guttulis oleosi liquoris salino-volatilis capitellum delibutum percepi.

Ex his, alijsq; experimentis idem comprobantibus, quæ brevitatis gratiâ relinquo, en aquæ Polonicæ culpa manifestè patefacta in crassa pingvedine particulariter vitiata, cujus ultimam differentiam distingvere impossibile sensibus redditur, undè Plica procatarctice procedit.

Exulet ergo illius potus: & ab ijs, qui ob pauperiem eximi non possunt, non admittatur, nisi saltem castigata, & correcta, sicut dicemus.

In cerevisiæ fermentatione evidentissimè defæcatur, sicut in ferculorum ebullitione cum salis communis additamento invertitur; ità ut nonnisi valdè dispositis

offi-

officiat. Nunquam etenim obſervare, neq; audire mihi contigit, ullum exteræ nationis hominem, quamvis à pueritia in Regno Poloniæ habitantem, tali affectione immunda correptum fuiſſe.

Nec omittendum, ſeviſſimam pœnam, cujus incapax redditur aqua, per ſtatutum legis decretum refundi debere contra impios, qui propriam Plicam abſciſſam in cerevisiam, crematum, aut mulſum infundunt, & immundos liquores aut hoſpitibus propinant, aut alibi vendunt; idq; à fide dignis narratum acceperam, aſſeverantibus ſpurciſſimum tale crimen paſſim à Judæis patrari, qui putant Plicæ morbum ab ipſis in potatores tranſplantari.

Certiſſimum quidem eſt, contagioſam infectionem hoc modo in alios transfundi poſſe, ſed non aſſevero, quod ideò extirpetur in illis, undè procedit origo.

Hinc forſan apud ingenuos Polonos mos poculi ceremonioſus invaluit, ut qui ad bibendum invitat, anteà guſtare ipſe ſoleat, deindè cum ſalutari teſtimonio de eodem liquore amicis officioſiſſimè offerat.

Ex omnibus hucuſq; allatis, Cirrorum morbum per Phyſicas cauſas productum fuiſſe demonſtratur; & per conſequens quidquid de aquarum infectione per

corda

corda à Tartaris venenata, ut historiæ Polonicæ narrant, aut de fascino, incubis, & de similibus fabulosis vulgo traditur, superstitiosum esse credamus.

Insanabiles sunt propriè illi morbi, qui in arida senectute cùm spirituum deficientia superveniunt, vel in destructo irreparabili organo visceris alicujus pro vita sustinenda necessariò consistunt, vel ab humorum, aut spirituum tali corruptione procedunt, quæ ad habitum pristinæ constitutionis ampliùs reduci non possit.

Alij vero morbi dantur, qui propter impuram miscelam, & vitiatum motum, agnoscunt tantummodò massæ sangvinis, & succi nervei cum spiritibus naturalem œconomiam alteratam : sed quia raro aut difficulter sanantur, incurabiles latò modò dicuntur, in quorum numerum & Plica adscribi debuerat.

Nunc autem ex hoc ordine ipsam hucusq; paucis, & inefficacibus fultam remedijs, etiam solo prognostico quasi desperatè relictam, pietate sincera ductus omnibus viribus eripere conabor.

Et quoniam macula sangvinis oleosa statim, & facilé deleri nequit ; ideò antèquam abluatur per purgantia, placidis & appropriatis abstergentibus præparari debet, Beta alba, cujus decoctio sicut pan-

num

num pingvedine infectum perpolit, virtutemq; saponis adauget, nostræ pariter intentioni fatisfacit, si succum ex folijs expressum, & à subsidentia percolatum lentè evaporabimus, & usq; ad extracti consistentiam condensabimus. Tunc

℞. *prædicti succi condens. unc.* j.
Stibij diaphoret. dr, ij.
Flor. Salis armon. dr. j.
Misc. F. massa pilularum. Cuius dosis sit sc. j. *ad drac. sem. continuando per 15 dies manè, & vesperi, iusculum superbibendo.*

Vel sequentes pilulæ substituantur:

℞. *Albi stercoris gallinæ, vel anseris, vel columbi.*
*Succi Betæ albæ condens. aa. dr.*v.
Mis. f. M. pilularum, quarum dentur sc. ij. *pro una vice per duas septimanas, ut supra dictum.*

Tunc securiùs purgatio instituatur lenior per Magisterium Tartari solutivum Begvini, quod sic paratur.

℞. *Magister. Tart. in aqua comm. soluti. un.* j.
Scamm. sulph. in q. s. spir. vini solut. dr. iij.
Misc. ambas solutiones, & in B M. evapora: id quod residet pulverisetur, & detur ad sc. sem. vel in dosi adaucta iuxta complexionem, mistum cum sacchario ad gratiam. Sumi poterit in iusculo, emulsione, aut ovo sorbili, reiecta albedine,

aut

aut cum rosarum conserva. Purgato sic corpore.

℞. *Fol. Parietariæ.*
Rorellæ.
Flor. Hypericon.
Sambuci.
Calendulæ.
} *pug. j. in toto.*

Mis. bull. leniter in seri lactis caprini un. viij. Colaturæ adde:
Stibij diaphor. sc. sem.
Flor. Hæmatit. cum sale armon. subl. g. vj.
Mis. & per duas septim. quotidie manè assumatur, in lecto quiescendo per horam, ut libera transpiratio sequatur.

Interim quolibet vespere balneetur æger per horam ante cænam in aqua fluminis, in qua folia hæderæ arboreæ, & saponariæ, ac tota planta sigilli Salamonis latifolij, scrophulariæ, lapati acuti, & fumariæ bulbosæ ebulliverint cum musco terrestri repente, & branca ursina. Postea repetatur purgatio per spiritum vitæ aureum Rulandi, qui ita paratur:

℞. *Trochisc. Alband. un. sem.*
Spiritus vini lib. j.
Misc. in vitro optimè clauso, & post sufficientem digestionem liquor clarus servetur ad usum. Dosis sit à dr. ij. ad un. sem.

His

His præmissis

℞. *Pulv. viperini rec. sc. sem*
(vel pul. serpent. vulgar. sc. j)
Gum. Gvaiaci nati.
Sulphur. citrini accensib. qui supra Muscum terrestrem clavatum reperitur, diligenter collecti, aa. gr. v.
Flor. Hæmatit. cum sale armon. subl.
Pulv. milleped. ppt. aa. gr. iij.
Misc. F. pulv. pro dosi matutina, quæ assumatur cum un. vj. aquæ stibiatæ seqventis.

℞. *Stibii crudi splend. & striati,*
Petræ pumicis aa. un. j.
Crasso modo contusa misc. & includantur in sacculo, quem suspende in lib. vj aquæ comm. Adde
Ligni Juniperi un. j.
Sassafras
Rad. Caryophyllatæ. } an. un. sem.
Vincetoxici
Scrophulariæ un. j.
Fol. ulmi M. j.
Fumariæ.
Scabiosæ. } aa. p. j.
Saponariæ.
Sem. anisor. p. ij.

Simul bull. lento igne in vase clauso per horas quatuor; quo refrigerato F. colaturá, quæ servetur ad usum: id est, hu-

ius

ius aquæ un. vj. *in vase pariter clauso quotidie manè calefactæ bibantur, ut supra monitum cum pulvere, quatuor saltem horis ante prandium in lecto stragulis cooperiendo, ut sudor provocetur: & aliæ un*. vj. *bibantur vesperi cum tinct. diaphor. antimon. gtt*. XXV. *dato intervallo duarum horarum ante, vel post cænam: quorum usum per mensem prosequi debemus; advertendo, eundem supradictum sacculum pro qualibet renovanda decoctione semper inservire posse: sic quilibet ad gustum vel passulas contusas, vel liquiritiæ radices rasas, vel cortices citri, aut aurantiorum addat.*

Vel loco dictæ tincturæ antimonij diaphoreticæ infundantur flores rorellæ in spiritu vini, ut macerentur; de quo sumantur gut. 40. ad 60. cum prænotata decoctione. Adnotandum rorellam colligendam esse in diebus canicularibus, luna crescente, die sereno ac calido, dum folia transudare solent; tunc etenim summe viget, & per sudores specificum edit effectum

Salsa parilla in sangvine ab oleosa corruptione mundando quantum valeat, quilibet conijcere potest, si radicem hanc superficialiter calida aqua laverit: talis etenim lotura mollis, & spumans, manus, ac si sapone tergerentur, perpolit. Qui decocti-

one

one ipſius per unum, & plures menſes utetur vice ordinarij potus concepta ſpe non fruſtrabitur.

℞. *Rad. ſalſæ parillæ elec. & inciſæ, un.* ij.
Paſſul. mino. un. iij.
Cinnamo. acuti. unc. ij.
Miſ. f. dec. in aquæ communis lib. viij. *ad tertiæ partis conſūpt. quæ refrigerata coletur pro uſu ſupradicto. Vel ſalſa parilla ſola ſine additamentis craſſo modo contuſa in cereviſiā novellā, dum adhuc fermentat, infundatur; qui liqvor expleta defæcatione bibatur.*

Per curam hanc præviam ſatis purificato ſangvine, Plica tutò abſcindatur, & caput abraſum ſemel quotidiè abluatur cum ſpiritu vini, aut frumenti rectificato, vel cum lixivio communi, in quo folia ſaponariæ, parietariæ, rad. cyclaminis, ſemina ſtaphiſagriæ craſſo modo contuſa decoquātur; ut horum virtute abſterſiva fomes è capillorum radice extirpetur. Hæc lotio non dimittatur, quouſq; capillos excretos pectine poſſimus excolere. Talis lotio etiam à principio maximè conducet, dum Plicam per contagium timeamus. Et nè ullus remaneat ſcrupulus retentæ reliquiæ, cauterium in brachio, ſaltem ad tempus aperiatur. Hæc pro Plica recenti.

Contra verò inveteratam crudeliori ſymptomatum tyrannide ſuperbientem,

magis

magis aptum, & efficacius non datur remedium, quàm suffumigium cinnabaris artificialis: dum etenim hæc accenditur, Mercurius minerale sulphur, à quo fixabatur, relinquit, & in corporis poros penetrans, novam sangvinis sulphurem rancitatem amplectitur, quam simul raptam placidè cum sudoribus extrahit, absq; ullo salivationis discrimine, dummodò tali methodo administretur.

Post præparantia, & balnea jam adnotata, & post diem intermedium quietis à purgatione secunda, (relictis alijs remedijs) immediatè ingrediatur patiens in laconicum ab accenso cremato, vel alio ferventi liquore, vel igne actuali calefactum, & taliter adaptatum, ut vapores recta per caput ascendere possint, faciei tamen ad extra libertate servata. Et cùm sudare incipiat, super accensas prunas tres pilulæ descriptionis sequentis imponantur, una post alteram, commovendo, si opus fuerit, ut de toto comburantur. Hora circiter sudando, & simul in excipiendo suffumigio expleta, calidis linteis exsiccetur æger, & in calidum quoque cubile ingrediatur, ubi quiescat per aliam horam stragulis moderatè tectus, quousq; sudor lentè de toto cesset, & corpus ad temperiem deveniat. Deindè indutus, prandium ad ho-

ram unam, vel alteram differat, & ad àërem apertum non exeat per dies 20, in quibus semel quolibet mane continuare debet in tali sudore cum fumo; & adhuc ab hoc expleto tempore domi septimanam absumere pro meliori securitate convenit.

Interim dum talia fiunt, cerevisia cum infusione foliorum ulmi ordinariè bibatur, & regula in victu carnium tenui, & facilis digestionis servetur, absq; acidis, salsis, crudis, & similibus pravæ substantiæ cibis. Tandem post laconicum continuetur per mensem in usu aquæ stibiatæ prædictæ una cum annexis.

Admoneo, quod tantùm in vere & æstate suffumigium admittatur, cujus est talis descriptio.

℞. *Cinnabar. artific. un. j.*

Olibani
Myrrhæ } *aa. un.* sem.
Styrac. odor.

Misc. F. pulvis, cui adde

Balsami Peruviani. dr. j.

Et cum spir. vini q. s. fiat Massa, de qua formentur globuli 60. ad usum prædicti suffitus.

Curativam partem explevimus. Sed quoniam plurimi inveniuntur, qui timent, ne Plicam contrahant, aut jam contraxisse suspicantur, propter æquivoca cum alijs

mor-

morbis ſigna; præſervativum ideò, & incipientis morbi extinctivum remedium in hujuſmodi eſſentia reſtringam.

℞. *Fol. Rorellæ rec. in dieb. canicul. coll. M. vj.*

Betæ albæ.
Fumariæ.
Scabioſæ.
Hyperic. cum flor. } *aa. M. ij.*

Rad. Scrophulariæ
Caryophillatæ.
Vincetoxici. } *aa. unc.* iiij.

Sem. aniſor.
Fœniculi. } *aa. M. j*

Miſc. contunde, & exprime ſuccum, qui in B. M. leniter evaporetur ad mellaginem. Deinde

℞. *Huius ſucci condens. unc. vj.*
Farinæ flavæ ſuper muſco clavato terr. reperibili ſunc. ſem.
Pulv. Millep. pp. un. j.
Spir. vini dephlegmati. lib. j. s.

Miſc. digere. & deſtilla ſ. A. aliquoties cohobando. Doſis à gutt. 30. ad 40. quolibet manè in vino, aut aqua Cinnamoni, aut alio liquore appropriato.

Propoſueram aquæ correctionem Ruſticis, & pauperibus valdè neceſſariam, quæ ſine ullo diſpendio facilè aſſequi poteſt. Bulliant ergo leniter in qualibet olla aquæ pugillum turionum, ſeu ſtrobilorum pine-

aſtri;

aſtri, vel abietis, & clauſo vaſe refrigerari permittant: Sic etenim balſamica iſtorum volatilitas potus corruptioni reſiſtet, quem citò permeabilem reddet, ne per diuturnam in primis vijs moram impuritates intrò depcſitæ retineantur.

Divites adhuc itineris neceſſitate ducti, aquam interdum bibere coguntur: Ne ideò & ipſi ſuo commodo ſalubri defraudentur, ſed nauſeam evitent, vel parùm de ſpir. vini aniſato, vel de ſequenti pulvere admiſceant.

℞. *Sem.* *Fœniculi dr.* ij
Aniſi ſtellati dr. iij.
Rad. Glycyrhi. dr. vj.
Cinnamo. acuti. un. ſem.
Sacchar. albi. un. iiij.
Miſc. F. pulvis ſubtilis, qui irroretur cum ſpir. Salis dulcific. un. ſem., exſiccetur in umbra, & ſervetur in vitro. Huius pulveris diſſolve quantum Cuſpide cultri capi poteſt in quolibet cyatho aquæ, & ſic correcta, grata, & diuretica evadet.

Ex his in publicum bonum ſi quid redundaverit, naturantis Providentiæ gratiã miremur; & cùm haud ſatis vindicaverim falſo imputatam Medicinæ inefficaciam pro Plica pellenda, humani ingenij debilitas, quæſo, excuſetur.

FINIS.

DE PESTE,
& eius
CONTAGIO
Dissertatio Epistolaris
Ab
ONUPHRIO BONFIGLI, M. D.
CONSCRIPTA:
Sub Auspicijs
CELSISSIMI PRINCIPIS S. R. I.
GEORGII LUBOMIRSKI,
Comitis in Wisnicz, & Jarosław,
SVPREMI CAMERARII
REGNI,
Olsztinensis, Casimiriensis,
Vszycensis &c. &c.
CAPITANEI.

CRACOVIÆ,
Typis Francisci Cezary, S. R. M. Celsissimi
Principis, Illustr: D. Episcopi Craco-
vien: Ducis Severiæ Typographi,
Anno Domini 1720.

CELSISSIME PRINCEPS.



RVbino Sapphiro, & Hyacintho lapidibus pretiosis, plurimum virtutis in malignos, ac venenatos

 mor-

morbos tribuitur. Præſens autem diſſertatio de Peſte, ſub pretioſioris Nominis Tui tutela, Celſiſsime Princeps, antidotum ſuum adinvenit. Gloria enim LVBOMIRSCIANÆ Proſapiæ Nobiliſſimis honoribus ornata, & pace, & bello quo pretio illuxerit, amplæ leguntur hiſtoriæ. Atavorum heroica geſta Tecum congenita, & relevata adaucto in dies ſplendore multiplicantur. Tuorum Famam in Te collectam, & non ſolùm per Poloniæ Regnum, ſed per reliquum Orbem latè diffuſam, ſi quis elogijs extollere nite-

retur

retur condignis, quemlibet eloquentiæ ausum imparem esse dignosceret. Laudes igitur sibi tributas Gemmæ cedant præstantiori Celsissimo merito, cui fausto salutis omine, Opusculum hoc dedicat

CELSITVDINIS TVÆ

Humillimus, Devotissimus,
& obseqventissimus servus
ONUPHRIUS BONFIGLI.

LECTO-

LECTORI.

SAlubris commercij felicitas, octo abhinc annis Poloniæ restituta, nobis blandiri videbatur spe diutiùs perseverandi, abolendique luctuosam pestiferæ contagionis memoriam. Ideò epistolarem dissertationem de Peste, quam ad Amicum sedato morbo scripseram, imposterùm obsoletam inter labores inutiles deposueram. Cùm denuò apud Turcas huic Regno finitimos Pestis præterito Anno Millesimo septingentesimo decimo nono grassaretur, ac ineunte vere Leopolim infecisset, & indè non solùm per proximos pagos, sed jam in Decēbrem mensem lues usq; Lublinum diffusa cæteris Provincijs timorem incusserit, præsentem Tractatum, tam præservationis, quàm curationis

causâ

causâ opportunum judicans, in lucem revocavi. Animo quo Tibi extrado, Lector benevole, suscipe, & vale.

DE



DE PESTE,
& ejus
CONTAGIO
Diſſertatio Epiſtolaris
D. HIERONYMO ZANICHELLI
Celebri Venetijs Chimiatro.



N tuum, Amice, Muſeum ampliſſimum Naturæ Theatrum, ubi quoq; foſſilia, quibus ſummè delectaris, mirabilem exhibent ſcenam, quidquid in Polonia, phyſicis curioſitatibus dignum colligere potui, jam dudùm miſeram; an verò pervenerit, nunciatum hucuſq; non habui. Interceptum incuſo commercium à peſtifera lue, quæ per Turcicas merces primò Leopolim, deinde Cracoviam inficiendo, ad finem Septembris Anni Milleſimi ſeptingenteſimi ſeptimi, per totum hoc Regnum tandem irrepſit: Tunc etenim Opaviam in Sileſia receſſeram; unde poſt ſexdecim Menſes, dum morbus frigore videbatur extinctus, Cracoviæ me re-

ſtitui.

ſtitui. Hîc tamen obſervabam deliteſcentes contagij reliquias, adinſtar febrîs ſporadicè malignantis ſuſpectam mortem ſubinde promoviſſe. Quouſq; Anno Milleſimo ſeptingenteſimo decimo accidit, ineunte Junio Menſe, quod mea coctrix ſtatim ac jacuerat ſuper pulvinaria matris, jam inde à duobus annis, peſte defunctæ (quamvis aperto àéri per hoc temporis intervallum expoſita fuerint) infirmari cœpit. Diſſimulato morbo, prima die fercula de more paravit; in ſequenti bubones ſuper ingvina, ac tres carbunculos ſuper brachium ſiniſtrum mihi diſcooperuit; tertiâ die fatis ceſſit. Divino invocato auxilio, conſvetum expurgationis tempus cum totâ familia incolumis ſuperavi. Poſt Menſem lues in apertum extenſa priſtinas reſumpſit vires, & niſi poſt annum imploratæ ſaluti ceſſerat. Hinc plurimis edoctus periculis ſiſtema Peſtîs concepi, quod breviter delineatum tecum communico, dum repetito impulſu ad reſpondendũ te impello.

Peſtis eſt epidemicus morbus, vehementiſſimè acutus, maligniſſimus, & contagioſus, præcipitanter ex uno populo plurimos afficiens, quorum pleroſq; interficit, & ſæpiùs intra quadriduum.

Differunt epidemici morbi juxta cauſas, quæ non per eamdem viam, nec pari

gradu,

gradu, nec unico modo agunt. Interdum cibus, & potus sive corruptus, sive corruptioni proximus, per stomachum, & intestina chylum inficiendo, malignas febres producit: interdùm exhalationes putridæ per nares spiritus animales alterando, acutorum morborum influxus latè diffundunt: interdum civium timor, ob gravem Patriæ obsidionem, diuturnâ impressione menti infixus, præter plurima incommoda, ad acutas infirmitates corpora disponit: interdùm depravatus àër per pulmones inspiratus, vel humoralem massam, vel spiritus vitales immediatè pervertit, & pessimi moris ægritudines generat. Ex his procatarticam Pestis causam seligentes, sine ulla hæsitatione asseramus, esse acidum nitro-àëreum langvescens à dèsso miasmatis extranei concursu subjugatū.

Aërem ad vitam necessariîssimum esse, nullus est, qui dubitet, cujus pabulo vitalis flamma destituta (non aliter ac ignis)extingvitur; ideò continuâ inspiratione sustineri indiget; nec motus humorum perseverare potest, nisi particulæ àëreæ sangvini minutatim intermistæ, fluiditatem ipsi conservent.

Ne corrumpatur àër, ejus compositioni pro condimēto Natura nitrosum acidū concessit; quod ibidem realiter existere, suffi-

cien-

cienter demonſtrat ſal nitrum ex àere conſpiſſato parietibus cavernoſis efflore-ſcens; ejuſdem ſalis, ac vitrioli dulcificata terra ſub dio ſufficienter expoſita, quæ ex àere priſtinam reſumit ſalinam eſſentiam; ferrum, quod rore madefactum facilè rubiginem contrahit; & àeris congelati ſalinæ configurationes, quæ per Septemtrionis atmoſphæram volitantes, tempore hyemali ſereno, ſcintillare obſervantur.

Hæc verò phænomena nitrum àereum repræſentant modificatum; quod in ſuo eſſe primitivo, non amaram ſalſedinem ſapit, ut nitrum commune, neq; corroſivam aciditatem, ut aquæ Stygiæ; ſed aciditatem ſulphure purgatiſſimo dulcificatam poſſidere debet tenuiſſimam, & volatilem, unde vis elaſtica reſultat.

Decernere non audeo, an remota cauſa, prædictum nitroſum acidum obruens, conſtituenda ſit in planetarum influxu inter ſe oppoſitorum, gradibus taliter refractis, ut àeris componentia tamdiù luctari cogantur, uſq; ad acidi nitroſi depreſſionem; an potiùs putrida effluvia ex aquis ſtagnantibus corruptis, vel cadaveribus inſepultis, & alijs fracidis materijs, vel mineris venenoſis elevata, præcipuè poſt terræ motus, incuſari debeant, quæ ab oppoſitis ventis circumpulſa, & coarctata, extre-

mas in

mas in nitrum àëreum hostilitatis vires fermentando acquirant: utrumq; enim probabile videtur.

Hoc unum est, quod corpuscula, quæ àëris balsamicam constitutionem in pestilentialem pervertunt, alia esse nequeunt, quàm sulphurea cum spiritu alkalico corrosivo ad putrefactionis gradum digesta, & taliter exaltata, ut arsenici volatilis superent indolem.

Ad id credendum inducunt exempla multorum halituum affinitate lethalium. Etenim metalli fossores ab aura maligna è cryptis expulsa aliquando necati fuerunt: canes in antrum Canis, prope Neapolim, immissi siderati extrahuntur, qui exindè in liberiori aura expositi pristinos resumunt sensus: incalescentium frumentorum vapor in horreis diù occlusus, & subita apertione ab intrantibus inspiratus, aut carbonum accensorum fumus in camera non eventilata compressus, subtilissimam àëris aciditatem præoccupat, & pulmones suffocat: opij exhalationes spirituum animalium elaterem deprimunt, & periculosum soporem inducunt: quædam venena speciali artificio parata per epistolas, flores, tabacum &c. in nares attracta, nitrosam vitæ aciditatem destruunt, & subitò spiritus extingunt. Hinc facilè Authoribus

assentior, qui morbos epidemicos pestilentiales, etiam arte venefica productos, scribunt. Scimus ex adverso acidum qualecunq; subtile præsens esse antidotum reparans damna à prædictis venenis inducta.

Si ergo intenso epidemicæ malignitatis gradu depravatus àër introducatur, vel cum respirio in pulmones, vel salivæ mistus, seu roris forma constrictus cum fructibus, & oleribus in stomachum, vel olfactu in nervos, vel per ambientis contactum in poros cutaneos, tunc immediatè spiritibus commiscetur; qui (dum nitidissimi, ac promptissimi conservabantur, præcipuum animæ instrumentũ existebant pro motu juxta naturam tam locali, quã intestino humorum) statim ac verò langvidi àëris mistura conturbati relaxantur à debita elasticitate, evadunt inepti pro vitæ œconomica directione diù sustinenda.

Quamvis detecti vermes in sangvine Peste infectorum, ansam alicui dederint dijudicandi, Pestem fuisse animatam; probabiliùs tamen illos credamus non causam corruptionis sangvinis, sed effectum putridæ fermentationis, quæ apto fotu ipsorum eruptionem ex ovis jam fœcundatis, & super extractum sangvinem dimissis, vel à muscis immediatè, vel per àërem vo-

litan-

litantibus, dispositivè accelerat; ex quibus infectis prompta multiplicatio per naturæ ordinatam generationem emergere solet.

Eodem errore hallucinati sunt ij, qui aliquando ex apertis tumoribus in umbilico, naribus, & auribus, vermes excretos observaverunt, putando eos à corruptione, ut à causa efficiente primaria genitos fuisse; cum revera ex insectorum ovis in locum patentem depositis vermes excludi nullus dubitare debet; sive hoc sit, quia vermiculi jam nati non solùm per manifestas cavitates subintrent, sed per occultas etiam: quandoquidem diligentibus observationibus in morbo pediculari, & sironum comprobatum fuit, pediculos, & sirones, non aliter ac comedones ex infirmo in sanum per cutaneas porositates penetrare, inter communia integumenta cuniculos excavare, nutriri, crescere, ac ex ovis fœcundatis multiplicare. Sic omnium insectorum generationes, juxta suas species, non per corruptionem, quæ dispositivè tantùm concurrit, sed per ova fœcundata etiam in intestinis, urina, aceto, caseo, fructibus, gallis, ac lignis antiquis &c. sive ibidem enixa, & occlusa, sive aliunde translata infallibiliter succedunt.

Nec illis assentior, qui vermium congeriem per atmosphæram pestiferam fluctuare

opinan-

opinantur: nam quamvis ipsorum parvulima ova à ventis propulsa invisibiliter sustineantur in àére, attamen insecta ex ijs prodire nequeunt, dum extra debitam matricem vagantur, quoniam in stabili loco foveri debent. Hanc veritatem muscæ, & cætera insecta, quæ alas producunt, non aliter ac aves nos docent. Certum est, quòd si minimi vermes in àere persisterent, cum inspiratione in pulmones intrarent, quorum bronchijs adhærendo potiùs interciperentur, quàm statim in venas excurrerent, ac molestâ vellicatione, tussim incessanter provocarent, quousq; sputo excernerentur.

Rationi magìs consonum est affirmare, Pestis formalitatem existere in motu tam intestino, quàm locali spirituum vitalium specifica putredinali alteratione perturbato ab alkali urinoso sulphur pingve sangvinis dissolvente, & vinculum ejusdem balsamicum corrumpente post acidi nitrovolatilis depressionem.

Non quælibet pestifera lues omnibus animantium speciebus indifferenter dominatur, quamvìs sub eodem cœlo degentibus, sed individuis tantùm ejusdem speciei, quorum pars ob promptiorem confermentationem, faciliùs causæ morbosæ cedit, & pars magis resistit: hominis etenim, bovis,

equi,

equi, & pecudum temperaturæ diversâ inter se modificatione constitutæ, non cum omnibus fermentis æquâ proportione adaptantur, sed ex singulari, & mutua causarum conspiratione cum corporibus viventibus, Pestis resultat.

Hujus morbi vis multiplicativa ignis naturam imitatur, qui, aquosis misti particulis expulsis, sulphureas ad rapidum motum suscitat, & accendit, quibus eamdem communicat activitatem reproducendi ex alia materia disposita novum ignem; & hìc successivè sese ulteriùs expandit, quousq; subtracto pabulo extingvatur. Sic semina Pestis, animalium corpora penetrando, eorum volatile nitrum deprimunt, dum sulphur, & muriam, unito simul consortio, ad putrefactionis modum exaltant, quorum vapores expiratione, & transpiratione dimissi, si in proxima corpora stricto agmine transfundantur, sive per immediatum contactum, sive per certam loci distantiam, similem ibi producunt morbum, qui perseverabit in sui propagatione quousq; infectionis commercium removeatur, & interim maligna illa corpuscula ab invicem divisa disperdantur, & aliter modificentur.

Hìnc detectam habemus originem contagij, quòd filius Pestis procul etiam ab àère vitiato in regiones, quanvis

saluberrimè constitutas, indifferenter transfertur. Nam corpora infecta sive animata, sive inanimata, (ut vestes, supellectiles, & merces quæcunq; porosæ, præcipuè plumæ, lana, gossipium, linum, & pelles, quæ semel imbuta pestilentiali miasmate, si posteà nec diù, nec exactè eventilata fuerint, continuò luem conservant) inficiendi activitatem extendere valent usq; ad dimensionem quinq; passuum geometricorum: ulterius securitatis terminus assignatur. Corpora verò ex particulis strictè cohærentibus compacta, virus intra se non admittunt, ut sunt mel, cera, sevum, oleum, pix, cæteræ resinæ, & gummata, virescentes plantæ (non autem aridæ) vitrum, salia, terra, lapides, metalla, & cætera mineralia. Horum superficies tantummodò ab adhærente impuritate inquinatur; quòd si accidat, simplici immersione in aquam salsam, urinam, vel acidum liquorem macula contagiosa statim abstergitur.

Pestilentiale fermentum in hominibus dies quadraginta foveri tacitè potest, antequàm in apertum prodeat. Supellectiles verò, & merces longa eventilatione purgari debent absq; temporis limite, juxta porositatum varietatem

Pestis & Contagium, naturâ non differunt, cùm Pestis sit Contagium in loco

suæ

ſuæ Originis permanens, Contagium quoq; Peſtis peregrina; ijſdem ideò ſymptomatis ſtipantur: nec eorum ſymptomata faciem oſtentant diverſam ab ijs, quæ febres ſporadicè malignas proſeqvuntur quamvis ex criſi citiùs ad mortem præcipiti diſtingvantur. Inter phænomena verò, quæ hìc occurrebant, obſervavi in primo morbi inſultu faciem inflammatam, & oculos igneos, ſummam laſſitudinem, vomitum, cephalalgiam, & viſcerum ardorem, dum exteriora frigida convellebantur: deinde maximas anxietates, conſtrictivum cordis dolorem, deliquia, ſingultum, phrenitidem, petechias ut plurimùm ſolitò latiores lupini granum æquiparantes, maculas per cutem latè extenſas vibicum inſtar liveſcentes, bubones, & carbunculos.

Et quis non comprehendit à langvida ſpirituum elaſticitate, quæ fibras muſculares ſatis inflare non valet, ſummam corporis laſſitudinem ſequi debere? Ob hanc rationem obſervavi refrigerata cadavera Peſte defunctorum conſueta tenſione membrorum non indureſcere, ſed flaccida remanere.

Et quis à ſale muriatico, & ſulphure fracidis humores ſubſtantia relaxari, & à vivido motu deficere non concipiet? Hinc tarda fit ſangvinis circulatio, (quæ per

phlogosim in genis, & per venulas in oculorum albo tumentes evidentiori accensione se prodit, intestina misti discordia augetur, regularis fluidorum ordo pervertitur, & effervescentia febrilis assurgit, quæ inæquali agitatione sangvinis circa præcordia lentè excurrentis, ægros angustiâ, & dolore cordis cum anxietatibus vexat, & langvoribus. Tunc inflammatio intra viscera concipi debet, dum partes externæ, ob sangvinem in centro quasi coagulatum, spirituum expansione depauperatæ algent. Tunc pulsus langvidus, celer, & inæqualis percipitur.

Hujusmodi sangvis, per cerebri meninges lentè circulando, ob extensivam vasorum plenitudinem, abrasiones, & pulsationes acerbissimo capitis dolore excruciat, & erisipelatosa per meninges restagnatione in phrenitidem cum gangræna desinit. Si tales sangvinis concretiones per viscera subsistant, ibidem quoq; sphacelus promptè subsequitur. Non aliter disponente ventorum intemperie, si accidat inflammatio in faucibus, aut in thorace, anginæ, pleuritides, & peripneumoniæ præcipiti morte terminantur. Interdum emortui sangvinis guttæ, ulteriori circulationi per intercutanea vascula ineptæ, cutem sparsis petechijs sive purpureis, sive nigris maculant.

Simi-

Similis pariter ſangvis copioſus, per corporis ſuperficiē trāsfuſus, hanc varijs livoribus inficit. Dum verò ſangvinis ſulphureo-ſalinæ particulæ ab acido volatili non corriguntur, tunc colliquatur maſſa, & in hæmorrhagias, vel in ſudores diaphoreticos diffluit.

Succi pancreaticus, & bilioſus alterati, ex inteſtino duodeno aſſurgentes per convulſionem in ſtomachum, rugoſas ejus tunicas ruditer irritando nauſeam, vomitum, ac ſingultum provocant, & eò magis, ſi diſpoſitio imflammatoria, vel puſtuloſa, ibidem contigerit.

Si lympha acris per glandulas inteſtinorum erumpens, & unâ cum prædictis ſuccis ad inferiora confluat, diarrhæas, & dyſenterias crudeliſſimas movet. Eadem lympha glandulas ſalivales cauſtica acrimonia adurendo, eſcharam quaſi inducit, quæ ſeroſitatis excretionem in os impedit; unde fit lingvæ ariditas, ſitis, nigredo, & prunella: cum pituita viſcida reſtagnando, nunc parotides intumeſcere, nunc bubones in ingvinibus, & ſub axillis protuberare facit; & cum lixivialibus peſtilentis materiæ recrementis per corporis periferiam diſperſa, & concreta hinc inde carbunculos elevat.

Dum autem in ſucco nerveo veneno ſum hoc vitium ſuas agit tragœdias, tunc

vigiliæ, deliria, lethargus, motus irregulares, & ſpaſmodici fiunt juxta organorum præoccupationem, in quibus actio formatur.

Quo ad præſervationis prognoſim, multiplici exemplo comprobatum fuit, illos, qui cauterij, aut habitualis ulceris, aut hæmorrhoidum expurgatione fruebantur, vel ſcabie, vel morbo venereo vexabantur, (propter acidum etſi vitioſum, iſtis morbis prædominans) veneno Peſtis rariùs fuiſſe obnoxios.

Tantum magnanimitas juvat, quantum nocet timor, qui æthereas vitæ particulas hebetes reddit, & apocriſi morboſæ minùs reſiſtentes; quamvis contrarium mihi monſtravit ſequens effectus. Audaciſſima fæmina, contagium ludibrio cum habuiſſet, veſtem infectam induit, & brevi interijt, cui Hera contagij neſcia pietatis ſervitia, manibus proprijs præſtiterat: hæc inde maximo perturbata terrore, extrema pariter expectabat: ipſi apprehenſionem adauxerant veſſicatoria in coxis conſultò aperta, quibus ingvinales glandulæ per conſenſum cum dolore intumuerant, & bubones ſimulabant: attamen evaſit intacta. Altera Matrona, duobus nepotibus, & tribus ſervis contagio extinctis, cum quibus infirmantibus familiariter egerat, timorem

uſq;

usq; ad delirium conceperat: nec tamen ista ullum periculum vitæ subjerat. Tempore quidem pestilentiæ timorem excutere laudo; at potiùs consulo temeritatem in cautam prudentiam permutare.

Prognosticum in ijs, qui actu Peste laborant, nullo habito ad symptomata respectu, raró ab exitu infelici recedit. Aliquando morbus intensissimè acutus unico die terminatur; aliquãdo parùm remissior ad septimũ protrahitur; sæpiùs circa quartum fatalis existit. Inter phænomena dantur aliqua alijs pejora: Petechiales maculæ omnes sunt malæ, pessimæ autem, quæ se extendunt in vibices, vel se elevant in pustulas. Carbunculi bubonibus sunt periculosiores, & præcipuè, si livido colore circumdentur; ruber enim circulus minùs est lethalis. Bubones recedentes sunt magìs infensi, quàm facilè suppurantes cum symptomatum levamine. Cætera cum febribus malignis conveniunt, inter quæ præcipuè sudores undiq; copiosi, & calidi bonum omen portendunt.

Quo ad temporis spatium securitati constituendum, dum quis contagium contraxisse suspicatur, compertum habemus, fermentum hoc ante diem quartum, ut plurimum, malignitatem in apertum exerere, sæpè inter septimum, & de-

cimum quartum, rariùs ab hoc ad quadragesimum; ulteriùs verò nunquam, dummodò pestiferum interim commercium non renovetur.

Ut igitur à Peste præservemur, æthereum acidum tam àëris, quàm spirituum vitalium præcipuum constituens in suo esse naturali conservare, ejusq; inimicas dispositiones removere expedit.

A DEO salutis Authore misericordia imploretur. Domus, & Civitas tota omnibus purgentur immunditijs, canibus & porcis, qui per plateas vagantur, quorum pilis vis contagij inhærere potest. Cloacæ & cœmeteria non aperiantur, nec terra paludosa fodiatur. Annona optimi nutrimenti provideatur. Ignis quò frequentior accenditur, eò purior redditur àër, qui suo nitro volatili ignem suscitat, & conservat; sic acidum ignis subtile unà cum sulphure purgato ascendens crassos ab atmosphæra vapores dissipat, & torpidum àëris corpus rarefacit, æthercam augendo elasticitatem, quæ anima mundi habetur. Pari ratione tam nitrum sal ex acido primitivo, & pingvi terra excoctum, quàm sulphur commune ex molli oleositate minerali cum acido subterraneo concretum, (& per consequens pulvis pyrius) si inflammentur ambientis vires extollunt,

Cùm

Cùm autem à loco infecto procul recedere non concedatur, inter validiora præsidia sulphur prima fronte opponatur, cujus effluvia acidissima existunt, & activitatē possident sese extendēdi, penetrandi, ac penetrati corporis poros aliter modificandi; ut patet, dum ejus fumo color ceruleo-obscurus floris hyacinthi, & violæ martialis convertitur in album; dum rubræ rosæ evadunt variegatæ, dum mappa vino rubello maculata pallescit, & dum argentum, & aurum (quamvis in arca profundè occludantur) nigrescunt. Cætera quoque acida suis viribus non destituuntur, quas experimur in opij narcosim minuendo, & aliquorum purgantium malignitatem moderando; præter plurimas alias componentium molecularum inversiones, quæ ab ijsdem acidis promoventur in mistis non tam superficiali phænomeno, quàm etiam intrinseca totali mutatione. Non mirùm ergo, si ab acore vegetabili, & eò magìs à minerali pestilens virus corrigatur.

Fiat ideò in habitaculis frequens suffitus sulphure, cui suppleat aceti vapor vel bulliendo, vel latera ignita aspergendo, quem vestes etiam excipiant, vel pulveris sequentis super ignem injecti pugillus sit in usu ter in die.

℞. Nitri

℞. *Nitri puri Unc:iiij.*
Sulphur. } *ana unc.* ij
Succini.
Myrrhæ } *an. unc.* j.
Styrac. odor.
Olibani.
Baccar. Junip. unc. vj.
Mis. f. pul. pro suffitu.

Aceto acerrimo sive simplici, sive rutaceo, sive camphorato, sive rubi Idei, sive sambucino, sive myrrhato, manus sæpè laventur, & nares madefiant, eodemq; cum aqua temperato os abluatur. His præsidijs inter contagij discrimina, cum omnibus meis domesticis, integra fruebar valetudine, dum adhuc bis in die bolum, ut sequitur, assumebam.

℞. *Mellis Juniperi Unc.* viiij.
Flor. Sulphur. } *ana drac.* iiij.
Pulv. Hepatici rubri
Sacchar. alb. q. s.
Mis. f. Confectio. Dosis sit ad magnitudinem nucis avellanæ.

Nec unquam cessabam acetum olfacere, quo digitos etiam ante, & postquàm pulsum ægrorum tetigeram, mundabam, edoctus eâ consvetudine, quæ grassante pestilentiâ in Lœmeconijs invaluit, ubi epistolæ, pecuniæ, & similia, libero concedenda commercio, sulphuris fumo, vel aceto immersa purgantur. Quan-

Quantum valeat acidum volatile ad nostros spiritus recreandos, syncope lapsi fatentur, dum ipsorum nares aceto fricantur; hinc est, quod, ob fermenti aciditatem à furni calore exaltatam, panis calidi odor opportunum cordi levamen affert; huic fundamento innixi, ut præservemur à peste, panis recentis buccellam imbutam vino generoso aliquantulum austero (cujus basis est tartarea aciditas) matutinis horis comedamus.

Inter præservativa interna extollatur elixir proprietatis, cum spiritu sulphuris paratum ad guttas 20, syruppus ex succo citri myrrhatus ad medietatem cochlearis, rob sambuci ad magnitudinem nucis avellanæ, rob ribium, conserva berberum, & pulpæ citri ad unciam semis.

Diximus eos, qui habitualis ulceris beneficio purgantur vim pestis faciliùs deludere: exinde imitando naturam, cauteria approbare liceat; his regularis victus accedat, & à veneris usu, nec non à corporis qualicunq; defatigatione, quæ spiritus nimis dissipat, abstinendum erit.

Suffitus consveti è lignis odoriferis, resinis, aromatibus, & balsamis, quia sale volatili oleolo indicationi prædictæ repugnant, inutili dispendio repudiantur. Ob hanc rationem risu illos excipio, qui fu-

mum

mum tabaci per tubulum ore attrahunt, ſupponentes hac olfactûs peſtilentia peſtem corrigere; nam in Bokniæ Civitatem, me præſente, contagium introductum fuit per ejuſdem tabaci ſarcinam.

Scuta verò, ſacculi, olfactoriola, atq; plurima periapta, & amuleta ex bufonibus, arſenico, & mercurio parari ſolita, quæ è collo ſuſpenſa luem virtute magnetica, ab humano corpore divertere, & in ſe attrahere dicuntur, ſuperſtitioſæ credulitati relinquo.

Obſervabam Cracoviæ, Contagium frequentiùs infenſum juvenibus fuiſſe, & promptiùs ijs, qui bilioſo, vel ſangvineo temperamento florebant: quoniam, qui abundant calido innato, ſicuti plurimo indigent alimento (juxta Hippocratis fatum Aphor. 14. ſect. 1) ita proportione ducta, copioſiùs vivido àëre ſuſtineri debent: per conſequens ab àëris nitroſitate depravata magis patiuntur. Theriaca ergo, Mithridatium, Electuarium de ovo, Orvietanum, & ſimilia decantata pharmaca, ob plurima aromata, præſervationis ſcopum non attingunt, ſed potiùs acidum deſtruunt, & bilis alkalicum ſulphur intendunt, ac propter opium, quod in ſua compoſitione ſuſcipiunt, ſpiritus figunt.

In curativa tantummodò parte theri-

acalia

acalia prædicta præscribantur, semper dissoluta cum acidulato liquore, quod primarium indicatum omitti non debet: tunc etenim sangvinis emortuæ particulæ, per sudorem expellendæ, aromatico sale stimulari debent, dum spiritus ab acido sustinentur. Ubi sunt phlogoses, excandescentiæ, nimiæ hæmorrhagiæ, & colliquativi sudores, cavendum ab illorum illegitimo usu; diascordium verò singulariter adhibetur, ubi diarrheæ, & dysenteriæ combinantur.

Cæterum sangvinis missione, nullo modo, in pestilentiæ vigore spiritus depauperare liceat. Catharctica nunquam conducunt; dum verò humorum turgentia, & plenitudo in stomacho, & circa primas vias adsit, statim à principio emeticum tale propinetur.

℞. *Croci metallor. in pollin. redac. drac.* ij.
Succi limonum unc. viij.

Mis. in vase vitreo; digere calore arenæ per triduum sæpè agitando. Liqvor filtretur, qui cum sacchari ana detineatur, vase clauso, in B. M. ad sacchari solutionem, & ad consistentiam syruppi. Dosis sit à drac. ij *ad unc. s. usq; a drac.* vj, *cum æqvali parte aquæ totius citri, vel rubi Idei, vel fragarum. Vel detur sapa vomitoria Sylvij à granis duobus ad tria, vel oxisaccharum vomitivum Salæ à drac.* ij. *ad* vj.

Præci-

Præcipuum, & ſine mora præſidium ſit acidum vitæ volatile ſuſcitare, & per ſudores expellere id, quod eſt corruptum, vel corruptioni proximum. Ad hoc.

℞. *Flor. ſulphur.*
Antimon. diaphoret. } *ana g.* iiij.
Camphoræ g. ij.
Sal. vol. viperar. g. j.
Rob è baccis ſambuci drac. ij.
Miſ. f. bolus ter in die repetendus; Superbibendo hauſtum decoctionis ſequentis.

℞. *Pomi citri cum toto minutim inci. lib.* j,
Rad. ſcorzoneræ.
Fragar.
Acetoſæ
Contrahyervæ. } *ana drac.* ij.
Cornu Cer. limati unc. ij.
Cinnamomi acuti drac, ij.
Nitri ſtibiati drac. j.
Miſ. f. decoc. in aquæ communis lib. viij, *ad tertiæ partis conſumpt. Coletur & ſaccharo, vel ſyr. rubi Idei dulcificetur ad gratiam;* De *hac decoctione bibatur adhuc ad libitum iuxta ſitim. Vel loco ſacchari admiſceatur tertia, vel qvarta pars vini, quod ita dilutum convenientiſſimus erit potus.*

Miſtura præſcribenda frequentetur cochleatim bis in hora,

℞.

℞. *Aquæ totius citri unc. vj.*
Syr. Cortic. aurant. unc. j.
Misturæ de tribus drac. j.
Spir. è formicis acidum spirantibus post digesti. destill. scrup. ij.
Confec. Alkermes. } *ana drac. j.*
Hyacinthinæ. }
Lactis sulphuris drac. ß.
Mis. pro usu prædicto.

Conducunt pariter acetum bezoarticum, vitriolum diaphoreticum Salæ, balsamum sulphuris terebinthinatum à suo menstruo segregatum, vel sulphuris tinctura, spiritus nitri dulcis aromaticus, spiritus salis dulcis camphoratus & tinctura Bezoartica; quæ apto liquore diluantur, vel addantur misturis ad præscriptæ formulæ imitationem.

Pulsibus & cordi, & naribus applicetur calidè acetum rubi Idei, rutaceum, vel ex infusione florum sambuci, & lilior. convall. mistum cum vino moschatellino, aqua rosarum, & florum aurantiorum. Stomacho & umbilico calidum applicetur emplastrum paratum ex pane parùm torrefacto, & contrito, ac imbuto vino moschatellino, & æquali parte spiritus theriacalis camphorati.

Vessicatoria maturè applicentur brachijs & coxis.

His

His in genere expoſitis, ſpecifica addantur, quæ aſſiſtens Medicus neceſſaria dignoverit, juxta ſymptomata in diverſis individuis ſæpè variantia: tantummodò præſcriptionum aliqua exempla opponam contra illa, quæ hìc frequentiùs occurrunt. v. g.

Pro Prunella.

℞ *Cor. Cer. limati. unc.* j.
Carnis vitulinæ tendinoſæ fruſt. j.
Aquæ Prunellæ lib. ij.
Miſ. f. decoc. ad juſculi viſciditatem.
Colaturæ adde.
Syr. è ſucco citri }
Rubi Idei } *ana unc.* j.
Salis Prunellæ ſcrup. j.
& in frigido coaguletur S. A. in Gelatinam, de qua Gelatina fruſtulum frequenter in ore liqueſcat.

Pro capitis dolore, & Phrenitide.

℞. *Flor. ſambuci* }
Fol. verbenæ } *ana pug.* j.
Hæderæ terres. }
Nucleor. Perſicor. contus. drac. iiij.
Miſ. f. decoc. in aquæ partibus iij. *& aceti par.* j. *ad mollitiem cataplaſmatis adde.*

Nitri

Nitri puri drac. s.
Camphoræ rasæ scrup. s.
Panis triti. q. s.

Ad Massam Cataplas. quæ extendatur super telam, & circa frontem, & tempora applicetur.

Pro anxietatibus, cordis oppressione, & deliquio.

℞. *Spir. salis armonia. aromati.* } *ana drac. j.*
Elixir vitæ.
Syr. Cinnamoni essensific. } *ana drac. s.*
Perlati.

Mis. Dentur guttæ 30. pro vice in cochleari vini, repetendo iuxta urgentiam.

Pro alvi fluxu.

℞. *Pulv. Pannonici rubr. scrup. j.*
Aceti sambuci. drac. j.
Syr. Cydonior. unc. s.
Aquæ scorzoneræ. unc. iij.
Camphoræ gr. ij.

Mis. f. potiuncula danda qualibet 4tâ hora.

vel ℞. *Elec. Diascord. Fracast. drac. j.*

f. bolus, sumatur & superbibatur aquæ totius citri haustulus, repetendo iuxtà necessitatem bis, & ter in die.

Pro narium Hæmorrhagia, & sudore colliquativo.

 ℞. *Aquæ*

℞. *Aquæ acetosellæ* } *ana unc.* ij.
Fragarum.
Rosarum. } *ana unc. s.*
Cinnamo.
Syr. rubi Idei.
Cydoniorum.
Confec. Hyacinth. s. o. drac. j.
Terræ sigillatæ. } *ana scrup.* j.
Cor. Cer. philos.
Agarici mineral.
Mis. detur cochleatim frequenter.

Externè in hæmorrhagia, acetum capiti applicetur, & cum alumine dissoluto attrahatur per nares.

Quoniam Bubones, & Carbunculi, majori ex parte, pestîs tragœdiam explent, eorum curam tandem subnectam.

Pro Bubonibus.

Bubones, qui statim cum dolore, & inflãmatione elevantur, ad promptam suppurationem disponantur hoc cataplasmate

℞. *Cepar. albar. sub cinerib. assatar.* } *an. lib. s.*
Stercor. bovis (vel hominis.)
Mellis. } *ana unc.* j.
Axungiæ caponis.
Ol. lilior. albor.
Scorpion. simplic. unc s.
Mis. fiat cataplasma calide applicandum & renovandum.

Ince-

Incepta ſuppuratione tumor cultro aperiatur, & ulterior maturatio, & totalis expurgatio promoveatur ſequenti cerato continuando, & renovando, uſq; ad cicatricem.

℞. *Rad. Althea.*
Lilior. cæleſt. } *ana unc.* iij.

Mundatas radices in taleolas ſubtiles inciſas frige in lib. ij. *olei communis ad nigredinem uſq;: reiectis radicibus, adde oleo*

Sulphur. ſubtil. pulv. unc. iij.
Terebinthinæ Vene. unc. j.
Ceræ virgineæ unc. ij.

Semper ſpatula agitando coque lentè, uſq; ad mollem conſiſtentiam emplaſtri, quod ſerva ad uſum.

Si verò tumorem depreſſum retrocedere ſuſpicemur, cucurbitula, ſinapiſmo, & adhuc veſſicatorio ipſum ad extra attrahamus; qui ſemicrudus deindè aperiatur ſive ferro, ſive cauſtico aliquo, ut eſt emplaſtrum ruptorium Salæ; & tandem ſupradicto emplaſtro ſuppurante procedatur juxta morem.

Pro Carbunculo.

Ut rumpatur, & ſeparetur quàm citiùs carbunculus, ſi mitior, & cum rubore appareat, antequàm ad ſphacelum vergat

ni

in usu sit emplas. antipestilentiale attractivum, & rumptorium *Salæ*. Digeratur communi ungvento digestivo cum additione ungv. Ægyptiaci, vel Apostolorum; ac tandem impleatur ulcus filis carptis, & imbutis balsamo sulphuris Rulandi, superponendo emplastrum diapalmæ.


Si verò malignior sit carbunculus cum nigredine, aut livore, tangatur ejus apex vel ferro ignito, vel butyro antimonij; deindè digeratur prosequendo, ut de alijs supra innuimus.

Reliqua Chirurgis adstantibus commendamus juxta circumstantias & accidentia.

En Amice, quod tuo judicio committere nūc proposui. Si bellum, quod Regnum hoc crudeliter lacerare jam indè ab aliquot annis perseverat, animo inducias aliquando concesserit, pluribus te sæpiùs quæram. Tuis studijs me allectum dilige.

Vale.

Cracoviæ Kalendis Maij. Anno 1711.



DE ABVSU IN CVRA PUTRIDARUM ET MALIGNARUM FEBRIUM,

Dissertatio Epistolaris;

Sub Auspicijs

ILLUSTRISSIMI,

ac

EXCELLENTISSIMI DOMINI,

JOSEPHI GONZAGA MYSZKOWSKI,

MARCHIONIS MYROVIENSIS, & PINCZOVIENSIS, CASTELLANI SANDOMIR: &c.

CRACOVIÆ,

Typis Francisci Cezary, S. R. M. Celsissimi Principis, Illustr: Rndissimi Dni Episc. Crac: Ducis Severiæ Typographi,

Anno Domini 1720.

ILLUSTRISSIME,
AC
EXCELLENTISSI-
ME DOMINE.



Ellum ſive pro Patria tuenda, ſive pro inſenſo hoſte debellando geratur, ſemper truculentũ Regum opes atterit, militum cruorem

effundit, & provincias devastat. Sic violens Medentium excessus semper inimicus salutis in pœnitendum dispendium, in sangvinis vindicabilis missionem, & in vitæ perniciem persæpè irreparabilem evadit. Tibi ergo, Illustrissime, ac Excellentissime Domine, qui ab irrequieta turbulentia remotus animi tranquillitati, (sophicæ consolationis parti meliori) studes, qui corde ingenuus, & genio nūquā partialis publico bono associaris, sacrare debui Dissertationem, quæ in morbis acutis remediorum conatum, adversantem Naturæ, repudiat, & ad sedan-

dum

dum Febris tumultum ſinceram methodum diſponit. Hìc meum non eſt extollere encomijs à pluribus ſæculis in MYSZKOVIENSI Familia Mitras Epiſcopales, Primarios Senatorum gradus, inter quos Ipſe refulges, & Supremi Mareſchalli Regni Poloniæ authoritatem; neq́; commemorare merita aggregati cognominis GONZAGA ex Sereniſſimis Ducibus Mantuæ; neq́; conjugalem affinitatem cum Originarijs in hoc Regno Principibus; neq́; unicam Marchionis dignitatem cum bonorum Ordinatione in Majoratum ſpeciali Reipublicæ conſenſu

diſtinctum, ac hæreditario gradu in Te conſtitutū; nam à taciturna admiratione magis laudaris, dum affabili modeſtia condignas laudes omnibus ſatis cognitas non ambis. Sola me tenet ambitio excolendi Primum in hoc Regno adeptum ab annis xx. Mecœnatem, & nunquam deſiſtendi eſſe

ILLVSTRISSIMÆ,
ac
EXCELLENTISSIMÆ
DOMINATIONIS TVÆ.

humillimus, devotiſſimus,
& obſeqventiſſimus ſervus,
ONUPHRIUS BONFIGLI.

NOBILI, ac EXCELLENTISSIMO
DOMINO
CHRISTIANO de HELWICH,
MEDICINÆ DOCTORI,
Academiæ Leopoldinæ naturæ Curiosorum Meritissimo Socio.

VAstus ille tuus in Medico-Physicis, Christiane semper mihi faventissime, Genius, Historijs morborum latè per typos extensus, torpentes adhuc amicos ad literariæ Reipublicæ propagationem provocare non cessat. Hoc ipse experiebar laudabilis consvetudinis officium, dum in Leopoldina Academia inter Naturæ Curiosos me candidatum promovere obtulisti; non obstante rudis ingenij mei notitiâ, quâ doctæ societati impar excusari contendebam.

Et quidem per annos 30. Medicam Praxim exercens, sedula methodo Naturæ administrando, quamvis in chronicis morbis oppressam ad salutarem statum eandem feliciter sæpiùs reduxerim, attamen in Putridis, & Malignis Febribus nullam ex arte medelam certam constituere potui: hinc cum sincero Oraculo, Naturam esse medicatricem, & unicam, acpræcipuè in his morborum speciebus, acquiescere debui. Id autem demonstrabo,

videar in ſanandis corporis humani affecti-onibus, quæ frequentiùs, ac periculoſiùs contingunt, nil unquàm profeciſſe, unde pro Naturæ ſubſidio Curioſus inſigniri merear.

Naturæ nomine in Phyſicis exprimitur, Regula à DEO unicuiq; materiæ corporeæ ſpeciatim inſita, vel reſpectivè ad invicem diſpoſita mediante motu ordinem dirigente. Quotieſcunq; motus in corpore humano vel imminutus, vel excedens regularem pervertit œconomiam, præternaturalis reſultat indiſpoſitio, quæ dicitur morbus.

In Putridis, & Malignis Febribus inordinata liquidorum, & fluidorum exagitatio ab alijs diſtingvitur; quia non ità ſuccedit, ſicut dùm ab organis circulationis ſimpliciter irritatis ſangvinis curſus concitatur, ut in cordis palpitatione; nec ſicut dum à ſpiritibus volatilibus per balneum, ebrieetatem, inſolationem, iram, &c. nimiùm rarefactis, ſangvinea maſſa ad inſtar liquoris igne ebullientis efferveſcit, ut in ephemera, & cauſone; nec ſicut dum in una, vel pluribus meſẽterij glãdulis coagulatus chylus aceſcit, cujus aliqua portio cum lympha ibidem concurrente ſi diſſolvatur, ipſam ad horas aliquot digeſtam in talem acorem invertit, ut corrugatis ideò meſenterij fibris expreſſio violenta ſequatur: hinc talis

lympha

lympha partìm inteſtina verſus, partìm ductum thoracicum ſubit, & frigoris paroxyſmum varijs ſymptomatibus ſtipatum inducit perſeverantem, quouſq; ſangvinis particulæ alkalicæ volatiles inimicum ſaporem temperent, & in ſalſum commutent; Id ſine lucta calorificam ebullitionem inducente fieri nequit, quæ ceſſat vèl recrementis per poros cutis expulſis, vel cum urina præcipitatis; indè, juxta depravatæ materiæ concurrentis conſtitutionem, & copiam, citiùs, vel ſeriùs aciditas fluida exaltatur pro renovando paroxyſmo ſeu quotidianæ, ſeu tertianæ, ſeu quartanæ febris: Nec ità ſuccedit, ſicut dum lympha externo, utplurimùm, figore retardata in glandulis conglomeratis circa caput, nares, collum, fauces, laryngem, &c. ibidemq; aliquantulum aceſcens, ac indè ſangvini commiſta catarrhalem febrim inducit: nec ſicuti, dum humor in aliquo tumore putreſcens corruptum acidum ſangvini circulanti communicat, & muſculares illas fibras cum venis, & arterijs ibidem ſparſis diſſolvendo, fluidorum corpus febriliter exagitat.

Sed aliter in prædictis Febribus Putridis, & Malignis res agitur, ubi ſangvineæ maſſæ efferveſcentia præternaturalis ab inteſtino tumultu componentium inter ſe repugnan-

gnantium immediatè exoritur, nec turbata agitatio ſemel incepta ceſſat, donec continuato quatuordecim, ut plurimùm, dierum concurſu, amicæ particulæ ſucceſſivè ad invicem ſeſe amplectantur (hæc eſt concoctio), & illas, quæ placidæ commiſtioni repugnant correctas tandem ſubjugent, & faciles reddant ſegregationi per corporis cribra magis diſpoſita.

Feliciter hoc ſequitur, quando æthérea mobilior materia, ſeu ſpirituoſa, uti primum naturæ inſtrumentum, officio ſuo totaliter non deſtituitur; ſed ſi colluctatio in dies magis confuſa irreparabiliter pervertatur, tunc natura lethaliter ſuccumbit.

In hujuſmodi Febribus ordinata ſangvinis fermentatio depravatur, vel ob ſpiritus immediatè alteratos, ex occaſione graviorum animi pathematum, vel ob àërem impurum inſpiratum, & ſangvineæ temperaturæ non conferentem, vel ob oppreſſas conſvetas recrementorum ſecretiones, & excretiones, vel ob aliquid corruptum, & arterias ſubintrans, quod taliter cum integra maſſa confundatur, ut ab iſta corrigi, nec ſegregari facilè poſſit: Hinc fit, exoticum hoſtem non ſolùm conſtitutiva ſangvinis principia ab amica ipſorum compoſitione diſſolvendo, violentum fœdus

dus cum particulis ad tumultuandum magis dispositis conjungere, sed etiam pro turba fovenda, repetitis suppetijs (quod persæpè intervenit) per colluviem in ventre inferiori stabulantem subministratis, periodicum paroxysmum cum continua seditione confundere.

Non meum est hìc, Christiane, te multis curis, & studijs occupatum in theoricis explicationibus symptomatum diù detinere, cùm tu potiùs me docere possis: sed ut propositum scopum de inutili harum Febrium medela attingam, morbum in quatuor tempora, juxta Methodicos, dividam; id est in principium, augmentum, statum & declinationem.

Si cathartica, sive emetica medicamenta in acutorum principijs indicari accidat, cum præcautione administrandum esse docet Hipp. Aphor. 21. & 24. Sect. 1, atque 10. Sect. 4. id est, tantummodò dum urgeat materiæ excrementitiæ turgentia, quæ inani excretionis stimulo, ac intolerabili anxietate hinc indè vehementer agitatur: hoc tamen cùm rarò accidat, ideò morbifica materia, quæ cruda tunc existit, nè moveatur, admonet.

Et quidem dum peccans aliquid humoris cum tota sangvinis massa minutim permistum effervescit, si per medicamenta,

quamvìs

quamvìs lenientia proritetur, vehementiùs exagitabitur; id verò indifferenter ſubtrahetur, quod circa primas vias proclivius, & forſan minùs nocuum deprehenditur.

Negare tamen nequeo, excretiones ab alio medicamento craſſiores, ab alio ſeroſiores, mitiùs, vel fortiùs promoveri; ſed non concedam inſitam ipſis eſſe, ut ità dicam, mentem, quæ miſti particulas has ſeligere, has reſpuere ſciat. Cruda itaq; excreta talia, qualia ex particulis tam puris, quàm impuris ſimul intrò confuſis ſubſiſtebant, integra aſportantur, quamvis à medicamento alterata, non autem talia, qualia purgari oportet, juxta Hipp. Aphor. 25. ſect. 1, dum poſt debitam concoctionem impuritates naturaliter ſubſidentes, & circa abdominis cola depoſitæ ad erumpendum faciles ultrò ſe præbent.

In hujus veritatis confirmationem diſſimulari non poteſt, vomitum, & diarrhæam acutas febres ſæpè à principio ſymptomaticè concomitari: Tunc conatus hujuſmodi irriti, imò damnoſi reperiuntur. Cur ergò purgationes, quæ ſimili tempore morbi coguntur ab arte, minoris detrimenti reputari debent? Iſtæ adhuc pejores ideò repudiantur, quia remedium evacuans aliquali malignitate non caret; perturbat ſto-

bat ſtomachi fermenta, inteſtinorum acti-
ones ſubvertit, ſitim inducit, vires immi-
nuit: quæ damna cùm ſatis febricantes ve-
xent, eò magis hoc medendi abuſu exaſpe-
rantur. Hinc meritò Valeriola ſcripſit, quod *omnia medicamenta malè adminiſtrata ſint venena.*

Ab his itaque Febribus acutis, præter materiæ turgentis neceſſitatem, quomodocunque purgantia relegentur. Pro aliqua cruditate, quæ in primis vijs perſiſtat, abſumenda, ſatisfacit abſtinentia à craſſo cibo, quem ægroti abominari ſolent. Interìm ſordes ad inteſtina præterlapſæ ſufficienter abluantur enematibus per totum morbi curſum repetendis. In caſu autem, quod copioſa phlegmatis ſaburrâ ſtomachus gravetur, ne præcordiorum anxietates ex hac augeantur, emeticum lene, ſicut eſt radicis hippoacannæ infuſio, tunc à principio, fiducia levaminis, tutò exhibeatur.

Tuam, prudentiſſime Helwich, cautelam in raro,& placidè exhibendis purgantibus ità ſum admiratus, ut quin mecum convenias non dubitem. In hoc igitur diutiùs non te detinebo; nàm ad refrænandum morbum, qui majori ferocia in dies augetur, accurrere debeo.

Et quoniam ad ſangvinis efferveſcentiam nimiam compeſcendam in morbi au-

gmento potior intentio dirigitur, an venam tunc secare conveniat, nec ne, quàm maximè disputatur. Longum nimis esset utrinq; rationes repetere; satiùs est experientiæ decisionem committere.

Diuturna praxi observavi, infirmos indifferenter alios sanari, alios perire tàm admissa, quàm omissa venæ sectione; ità ut quanvis ob morbi violentiam mori contingat, phlebotomiæ occasio in Medicorum calumniam sæpè sæpiùs assurgit, qui ex utraque parte infelicis eventùs querelam evitare non possunt; dùm verò salutaris superveniat crisis, tunc ab illis, qui contrariam sententiã tuentur, temperamento robusto, ac soliùs Naturæ directioni tribuatur.

Quòd melius sit anceps, quàm nullum experiri remedium, assentior in desperatis casibus, ubi axioma prævalet, non quãdo cum dubio morbo luctatur Natura, quæ sine ullo adminiculo viribus proprijs sufful-ta facilior est ad munus suum explendum, quàm si per venæ incisionem viribus diminutis irreparabile damnum ipsi inferatur. Certi enim sumus, sangvinem exhaustum non esse pejoris notæ residuo in venis relicto. Agnoscimus pariter, fermentationem febrilem ad secernendum id, quod corpori officit, suscitatam necessariò fuisse, cujus nimium æstum si moderari intendamus

(ut ex-

(ut expurgatio placidiori digestione securior obtineatur) cur potiùs absq; spirituum jactura rationabiliùs id consequi non curamus per extrinseca remedia, applicando fronti, temporibus, carpis, & plantis pedum pulpam cucurbitæ, vel citrulli, folia sempervivi majoris, plantaginis, bursæ pastoris, anagallidis fæminæ cum aceto contusa, aut amylū cūm ovorū albumine, & similia.

Objiciet aliquis quantitatem his non diminui. Sed quis post fœdera aliquot dierum inter nauseam & jejunium sancita, ac observata plenitudinem luxuriare judicabit? Urgeant adhuc alij, hæmorragias in Febribus Putridis, & Malignis ab ipsa natura promoveri. Concedo, salutis commodo, in morbi declinatione hoc fieri, quotiescunq; vitiosa materia excluditur procùl à morbi foco, & in venis ad extra magis patulis collecta, & retardata ob copiam, & acredinem, anastomosin aperit. E contrà valde timendum est in morbi vigore profluvium sanguinis è naribus, quod in Epidemicis sæpè observatur.

Jam ad morbi statum perveni, in quo quiescere suadet Hipp. Sect. 2 Aphor. 24. Attamen Medici ægros vexare non desinunt frictionibus, cucurbitulis, vesicatorijs, epithematibus, cordialibus misturis, confectionibus, pulveribus, julepis, & mille alijs

injucũdis pharmacis, quibus ſedulos aſſiſtẽtes per omnia momenta præoccupant, ne ipſorum ſupervacanea importunitate intempeſtivè turbentur.

Et quidem quid boni ſperandum ex frictionibus, quæ muſculares fibras diſtrahunt, & laſſitudinem, ac lumborum dolores augent? Quid boni ſperandum à ſangvine per cucurbitulas, vibicum inſtar, concreſcente, cujus pars craſſior ſub cute liveſcens jam cadaveroſa, dum à ſangvine recenti reſolvitur, & in venas ſimul propellitur? Nec deſunt, qui validis rationibus veſicatoria damnẽt, quorũ dolor ulceroſus ſufficit ſolus febri accendẽdæ, præter veneficã cãtharidũ penetrationem uſq; ad veſicæ eroſionem; quod malum ſaltem ut evitetur, flammulæ Jovis folia ſubſtituantur. Suppoſitoria verò in memoriam mihi reducunt aſtum Mancipiorum detectum, dum prima praxis rudimenta in ipſorum noſocomio Liburni addiſcebam, quorum aliqui, ut navigationem evitarent, allij ſpicã cortice mundatam in ani ſphinctere introducebant, & ex hac cauſa conſultò febricitabant: Eò magis ideò in acutis febribus ſuppoſitoria nocebũt.

O bone DEUS! ſi athleticum virum ſaniſſimum tenuiſſimo cibo ſorbili, & aquoſis potionibus per aliquot dies extenuemus, & interim medicamento purgante, & ſan-

gvinis

gvinis repetita miſſione depleamus, interpoſitis clyſteribus, veſicatorijs, & cæteris ſupradictis ſine intermiſſione tormentis, quis eum certò ægrotaturum fore, & ultimo forſan fato ceſſurum non ſuſpicabitur? Si hoc timendum ſit in ſanis hominibus, infallibilis ſequitur deductio, quod in infirmis ſimili methodo tractatis meliora ſperari non debeant.

Quòad cardiaca remedia, nunquam illis contemperatis me oppoſui, quæ blando odore, gratoq; ſapore libenter accepta ſpiritus recreant; uti eſt florum tunicæ, & jaſmini julepus, ac conſerva, aqua totius citri, & ſimilia. Propinare aromata acuta, & omnia, quæ ſale volatili oleoſo ſunt nimis prædita non auderem, ne humoribus æſtuantibus fomitem adderem. Cruſtacea, teſtacea, margaritæ, oculi cancrorum, cornu cervi, unicornu, pretioſi lapides, & cætera fixa abſorbentia, quæ utpote terra damnata, digeſtioni non parent, nec quidquam à ſe dimittunt, inutiliter pro alexipharmaco cordiali aſſumuntur; nam gravi tantùm calce ſtomachum, & inteſtina obducere, atq; ipſorũ meatus obſtruere valent.

Sed quò digredior, & potum inexplebili febricitantium ſiti neceſſarium tamdiù detineo! Incuriam ubertim compenſabo.

In membrana ſubcingente palatum,

lingvam, & fauces continuata cum interiore ſtomachi tunica, ſenſus humida appetendi ſuſcitatur moleſtus, vel propter ſalis ſive ſalſi, ſive urinoſi exuſtionem, vel propter aſperam dictarum partium ſiccitatem, dum iſtæ ſufficienter non irrigantur à lympha, quæ ſive aliorſum exhauſta, ſive vitio craſſi lentoris, aut glandularum ſalivalium qualicunq; obſtructione difficulter excurrit. In Febricitantibus muria nidoroſa, ſeu oleoſum bilis lixivium exaltatum in ore percipitur, & in urina apparet; cruſta lingvæ albida, & ſiccitas aduſta ſalſas fuligines concretas, & obſtruentes denotat

Hæc ſunt interni ſtatus præconia, quibus denunciatis convincor, quod ſubtrahendo potum ab ægris, hos iniqua ſententia cruciatui clamoſo condemnamus: nil enim meliùs, quàm aquoſa vim denſi ſalis cauſticam adimunt diluendo; ſic fermenteſcentes particulæ diſgregatæ molliùs moventur, & lubricam ſegregationis facilitatem adipiſcũtur. Id clarè ab Hippocratis auctoritate confirmatur, dum jubet, evacuanda oportere priùs humida facere, in Aphor. 9. Sect. 2.

Quò ſimplicior potus, eò naturalior, & ſalubrior eſt reputandus, ut aqua è fonte puriori, ac deſtillata è lactuca, endivia, boragine, acetoſa, & ſero lactis; liqvor

enim

enim craſſiori aliqua ſubſtantia ſemel ſaturatus nova corpora nec tàm promptè imbibit, nec tam fluidè permeat, ſicut citiùs corrumpitur; cujuſmodi eſt ptiſana, & ſimiles decoctiones. Aliquandò tamen pro delicijs acidulos julepos non rejicio multa aqua dilutos, inextingvibilis ſitis ſolamina, quamvis ſaccarum aliquomodo fermentationi obnoxium noceat; inter quos ſyrupus acetoſæ, ribium, aciditas citri, & aurantiorum, granatorum, & ceraſorum acidorum excellunt. Emulſiones item è quatuor ſeminibus refrigerantibus, ac papaveris cum aqua florum rhæados extractas, & cum ſyrupo lactucæ edulcoratas, ubi ſomnus conciliari debet, propinare liceat.

Potus in tanta copia concedatur, quantum ſtomachus abſq; notabili gravamine acceptet. Unica jactura, quæ ab exceſſu conſequi accidat, eſt viſcerum infractus in convaleſcentia reparabilis. Corrigendus tamẽ mihi videtur illorũ abuſus, qui gelidos liquores febricitantibus largiuntur, & non conſiderant, quod ſi quis poſtquam incaluerit balneo, inſolatione, motu, &c: aquã actu frigidam bibat, ſubindè pectoris inflammationẽ facilè contrahit: ſimiliter hìc, ubi major eſt diſpoſitio, viſceris alicujus inflammatio timeatur, vel ſaltem, ne ſangvinis efferveſcentia rarefactus ſubita congelatione com-

ne comprimatur, & pro defæcatione impuri impos Natura reddatur, & succumbat.

Tutiùs est tepidè bibere, & eò tepidius consulo, quò propius ad morbi declinationem accedimus: in hoc etenim morbi gradu Natura crisim disponit, quæ utplurimùm cum sudore perficitur. Tunc ideò medentes sudorificis prævenire solent, sed perperam, quia nemo securus esse potest, per quæ loca conferentia vergere Natura intendat, quod ante decimum quartum diem in acutis rarissimè, cum securitate contingit. Sic præmaturi conatus, præcipuè salino-volatili diaphoretico impulsi vel spem eludunt irriti, vel perficiendæ concoctionis proximas dispositiones perturbant, vel forsan aliorsum, prætèr Naturæ directiones, morbidam materiam pessimè divertunt.

Primus, qui pro diaphoretico in Malignis lapidem bezoar ab India translatum divendidit, si non tam lucri cupidine, quàm artis dexteritate inductus fuisset, aliquam mereretur laudem: cùm enim vulgus remediorum vanitate decipi omnimodè velit, saltem hujusmodi innocuis ipsi blandiri liceat. Dicant quæso Practici sinceritatis amantes, an ante criticum tempus ab assumpto bezoar sudores statim profluxerint? Fateri quidem debent, quòd tantùm

mo-

movente Natura, opinabilis illius alexipharmaci vires admirati fuerint. Nullum eſt dubium, efficaciori activitate eundem effectum tunc temporis produci à calidis juſculis, immo & à ſimplici aqua calida epota, ſaccharo ad gratiam edulcorata; ſed quia hæc ab incoctis Indicis ingredientibus non adipiſcitur famam, ideò pro vili repudiatur.

Pro criſi potiùs perficienda, lapis hyſtricis vim bilis diſſolventem, & abſterſivam retinens, ubi materiæ lentor expoſtulat, non totaliter inutilis rejiciatur; hac tamen æquitate, ut cæteri lapides in ciſti fellea aliorum animalium inventi, parem commendationem, merentes, non poſtponantur.

Quòd febres acutæ noſtris opibus non indigeant, convincunt ruſtici diſpoſitionibus Naturæ tantùm permiſſi, qui parem exitum ſortiuntur, ac cives medicis adminiculis ſuffulti, quorum aliquos obſervavi optimis ſignis ſecuritatem portendentibus obiiſſe, è contrà plures à Medicis ſpe, & auxilio derelictos convaluiſſe, confirmando Hipp. Aphoriſmum 19. Sect 2.

Cæterùm patet, ſangvinem non aliter, ac muſtum, & ceveviſiam novellam tamdiù efferveſcere, donec (concoctione rite procedente) depuretur; quod opus inge-

nio

nio solius Naturæ commendatum, duarum septimanarum spatio perfici solet; sicut prædicti liquores, juxta suorum componentium constitutionem, tempora purificationi destinata observant.

Postquam salutem infirmo corpori Natura restituerit, nil aliud moliendum restat, quam vires paulatim reficere, monitu Hipp. Aph. 2. Sect. . *Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè neq; movere, neq; novare aliquid sive Medicamentis, sive aliter irritando, sed sinere.* Nihilominus non valedicit Medicus cōvalescēti, nisi priùs superfluo cathartico hunc laxaverit: quod, juxta Aphor. 12. Sect. 2. ritè adimpleri solummodò convenit, quando aliqua incommoda, quæ simul cum lysi totaliter non quiescunt, extrà acuti morbi limites adhuc adimere supersit, ne recidiva excitetur.

Plurimo verborum tædio tuam, Helwich, patientiam læsi; erravi, fateor, cùm sciam paucis Naturam esse contentam, cujus arcana in febribus Putridis, & Malignis inutili curiositate scitcitanti satiùs mihi fuisset stupenti silentio mirari. Tu interim diù vale, & penetralia Naturæ perspicaciori lumine scrutari persevera.

Cracoviæ IV. Kalendas Februarij MDCCXVII.



Errata nonnulla corrigenda.

In Tractatu de Plica.

In ipſa Præfatione columna 1. poſt Titulum verſu 5to, velut *lege* vel ut

In ſignatura B. columna 2da, verſu 2do conſervat, *lege* conſervant, in eadem ſignatura columna 6ta, v. 14. Cornæ *lege* corneæ. Item in columna 9. v. à fine 3tio. gravitatem *lege* gravitantem.

In ſignatura Literæ C. columna 6. v. 7. miſtum diſponit, *lege* diſponant, Item in columna 8va v. 12. per acerrimum lixium, *lege* lixivium. In columna 14. v. 22. *Scrophulariæ unc.* j. lege *drac.* j. In ſignatura Literæ D. v. 6, ſulphurem *lege* ſulphuream

In Tractatu de Peſte.

Columna poſt Lectorem 5ta, v. 15. canes in antrum Agnani. *lege* in antrum Canis dictum. Ibidem in ſignatura Literæ B. 3. verſu 1mo, ſangvis copioſus, *lege* copioſiùs. Ibidem in columna 12. v. 10. extrahere *lege* attrahere. Ibidem in columna 15. v. 8. *Lactis Sulphuris drac.* ij. lege *ſcrup.* ij.



